A NAZ.
uele III
X
9
OLI

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
B
29
NAPOLI

XLIX
B
29

Digitized by Google

Prof. Pelae Ignatio.

DE

PECULIARI

PECUNIÆ

FRATRUM MINORUM

OBSERVANTIUM

APUD

SYNDICOS DEPOSITO

CONTRA ASSERTUM

P. PITHANOPHILUM.

VENETIIS, MDCCL.

SUB SIGNUM DIVI BASSIANI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

PROEMIUM

E T

PITHANOPHILI

Operis explanatio.

SAcroſanctæ Eccleſiæ navis uti perpetuis procellarum fluctibus agitatur, ſic D. Franciſci Navicula inceſſanti inimicorum turbine undequaque concutitur, ut quæ Apoſtolicorum mo-

rum facta eſt imitatrix, paſſionum ejus quoque conſors facta ſit. Non enim deſunt qui intus, & foris eam expugnare procurent, intus quidem communis hoſtis, extra maledici, & qui ſanctitatem regulæ laxare conantur. Inter hos prodiit Pithanophilus, qui libellum typis mandavit, cujus inſcriptio eſt: De peculiari apud Fratres Minores Obſervantes Syndicorum uſu Diatriba. Quinam ſit Auctor, incertum eſt judicare; ſed ſi opus ad trutinam revocetur, neque eſt, neque eſſe poteſt de dicta Religione. Ea eſt enim imperitia regulæ, & Statutorum, ea perantiqui Fratrum uſus inſcitia, & tam morum affectata laxatio, ut externum evincant aut irriſorem aut exprobratorem. Sed ut inter procellas Eccleſiæ navis innocua a Deo præſervatur, ſic & inter turbines Franciſci navicula incolumis evadit, eoque adjuvante, evadet in poſterum, atque inimicorum inſidias patefacta veritate fortiter eludet.

Quam captioſum eſt opus, tam eſt etiam artificioſe textum. Captioſum illud in legum adductione, & perſona. Artificioſa iſta geometrico more propoſitiones comprobando, vel ut imperitis quid evidens pingatur, vel ut aliquibus veritas, & oppoſitiones obtegantur, vel ut aliorum reſponſa effugiantur. Opus tali arte contextum, quid promereatur fidei, conſiderare relinquimus. Pro ratione enim artificium, pro veritate palliatio eſt, præterquam

quod

quod multa in ſuppoſitum adducuntur, quæ vel vera non ſunt, vel quæſtionem involvunt.

Hiſtorica methodo Bullas, & Concilium Tridentinum deſcribit, Statutorum Religionis aliqua tantummodo enuntiat, ea, quæ ad rem ſuam faciunt, ad verbum exarando, reliqua omittendo, ex quibus (variis obſervationibus deductis) argumentiones, & concluſiones diſponit. De Regula ne verbum quidem. Enarrat, ſed non adducit: prudentis enim eſt objecta effugere, & invincibilia provida calliditate obliterare. Hinc fit, ut falſis ſuppoſitionibus innixus, favorabilibus duntaxat adhibitis, ceteris omnibus oblitis, argumentorum inſtruat aciem apparenti evidentia ſuam concluſionem propugnantem. Conſuetudines illegales, & falſæ leguntur: Obſervantia & conſuetudo Religionis ſuper quæſtione propoſita omittuntur, Theologorum, & Sanctorum opiniones ut inutiles non diſcutiuntur. Suam denique opinionem tamquam certam, ſanctam, & tutam teneri ac defendi commendat. Hæc omnia vel dependentiæ a Superioris nutu fuco liniuntur, vel abdicatione pecuniæ facto depoſitæ, ſed quodam uſu ſi non realiter retentæ, ſaltem per æquipollentiam. Concludit tandem eorum caſuum deciſione, & in Sanctiores Obſervantiæ Fratres iis objurgationibus, quæ laxitatem evincunt, & Religionis irriſorem potius, quam regulæ puritatis amatorem.

Idea libelli patefacta, fundamenta, rationes, & Concluſiones generaliter attingamus, ut materia præcognita ad quæſtionis ſtatum deſcendamus. Quæſtio unica eſt: An liceat Fratri Minori habere, ac tenere pecuniam apud Syndicum minime Communitati incorporatam. Ut clarius in re propoſita procedat, in tres partes eam dividit: An liceat eam ſic habere, & tenere ex vi Regulæ: An liceat ex vi voti paupertatis: An liceat ex vi Eccleſiaſtici præcepti de vita communi. Ut materiam pertractet, teſtatur Pithanophilus ſe neque Auctores, neque Religionis Statuta velle attendere, & obſervare, quaſi ejus opinio omnibus præferenda ſit, & tamquam quid certum habenda, & veneranda. Solis igitur Bullis ſe promittit uſurum.

Ut quæſtionis partes ventilet, tria diſcutit: Quæ ſit Syndicorum inſtitutio, & eorum uſus: Qui ad pecuniam poſſint recurrere: Cujuſmodi eſſe debeat neceſſitas ad recurſum. Syndicorum inſtitutionem, & uſum demonſtrat Pontificiis declarationibus: Recurſum ad pecuniam Fratribus licitum probat: Sed cum Bullæ ſemper Fratres indiſtincte nominent, pro toto argumentationis ſuæ nervo deducit, recurſum licere tam Communitati, quam cuilibet privato, cum Fratrum nomine tam univerſæ, quam ſingulæ Perſonæ contineantur. Quod vero ad neceſſitatem ſpectat in recurſu re-

qui-

quiſitam, atque a legibus volitam; eam adeo extendit, & dilatat, ut non ſolum ad præterita, & præſentia, ad inſtantia & urgentia, ſed ad tempus illimitatum producat. Neque ſolum ad neceſſaria, ſed ad commoda, & utilia quælibet, ad delitias potus, & cibi, ad ludos, & alia permulta. Unica vero horum ratio eſt, quia Bullæ præter neceſſitatis, etiam utilitatis, *commoda* &c. nomina adhibent, & non ſolum tempus præteritum, & præſens, ſed etiam futurum memorant. Hæc omnia tamen, quia contra paupertatis regulam evidenter pugnarent, Superioris licentia teguntur, ita ut nulla appareat in Fratre proprietas, dominium, aut uſus. Requirit idcirco ut pecunia de licentia Superioris deponatur, & ad neceſſitates de ejuſdem licentia adhibeatur. Sed quia hac conditione nimium arctari Fratres putabat, medelam invenit. Aſſerit ſufficere ſemel licentiam petere pro omni tempore, & qualibet neceſſitate; ſufficere etiam tacitam licentiam cum taciti, & expreſſi eadem ſit vis, & facultas ſecundum leges; ſufficere quoque ſine expreſſa, aut tacita licentia Superiorem ſcientem tacere, & non contradicere, vel licentiam præſumptam; & pro celebris opinionis coronide conſuetudinem ſufficere id faciendi, nulla ſuppoſita licentia, neque contradictione.

His partim hiſtorice adductis; partim in Definitionibus, Suppoſitis, & Concluſionibus dictis rationibus probatis concludit: Licere Fratribus ſingulis habere, & tenere pecuniam apud Syndicum pro ſuis neceſſitatibus minime Communitati incorporatam, cum non ſit contra eſſentiam regulæ, & Bullarum tali modo loquentium, & regulam declarantium; licere etiam ex vi voti, cum ex vi voti nihilo magis coarctentur Fratres Minores, quam Regulares pecunia utentes, ea ſola diverſitate, quod ceteri Regulares poſſunt ex ſe ipſis de Superioris licentia pecuniam contrectare, & expendere, & Minores non poſſunt, niſi mediantibus Syndicis; licere tandem ex vi præcepti Eccleſiaſtici, cum præcepta Eccleſiaſtica in Bullis declarentur, nihilque ſit contra earum præſcriptionem.

Probationes roborat demonſtrando aliquos eſſe Conventus, qui Communitatem a Concilio Tridentino decretam non ſervant, in quibus multa neceſſaria Fratribus denegantur, unde neceſſarius fit ad pecuniam recurſus. Non quærit, an teneantur Superiores, & ſinguli Fratres Communitatem introducere, ſed de facto ſic eſſe ei ſufficit, ut fratri licentia, & neceſſitati detur recurſus. Opus terminat cum dictorum caſuum deciſione tam laxa, tam libera, ut aures offendat, & repetere pigeat.

Par-

Parvus eſt liber ; ſed maximi momenti materiam tractat, tam ſi Religionis puritas, & legum obſervantia ſpectetur, quam ſi honor ejuſdem in ſtatera appendatur, & æſtimandus ſit. Venerationem enim populorum, Eccleſiæ affectum, & protectionem ſemper promeruit, & ſenſibilia Dei beneficia cognovit paupertatem altiſſimam ſovendo, quam paupertatem fateri fas eſt & humilitatem parere, & a Mundo abdicationem, & continentiam in cibo, & veſtibus, & moderationem, obedientiam tandem, devotionem, & innumeras illas perfectiones, quæ tot Sanctos Deo ſacraverunt, ut Minorum Religio ſemen ſanctitatis eſſe videatur. Ad perniciem hujus Libri evertendam, tantæ ſanctitatis fundamentum concutientis, omnia oporteret afferre Statuta, Bullas, Concilia, & Auctores, ut omni ex parte opinionis erroneitates convincerentur. Sed ut evidentius errorem patefaciam, ſuis armis Auctorem, Deo favente, debellabo, ideoque ejus veſtigia ſequens, omiſſis Auctoribus, ſolis Regula, Bullis, Concilio, & Statutis utar. Ejus quoque ordinem ſervabo, demonſtrando: Non licere Fratri Minori pecuniam in manu Syndici tenere a Capſa communi ſeparatam ex vi Regulæ: Secundo non licere ex vi voti: Tertio non licere ex vi præcepti Eccleſiaſtici. Hæc probando, Adverſarii objecta ſolvam,

nec

nec curabo; quæ per ſe ipſa corruunt: Criticam omittam, non enim eruditionis, aut eloquentiæ eſt quæſtio, ſed veritatis, diſciplinæ, & Regulæ. Sit igitur Quæſtio.

CA-

CAPUT PRIMUM.

An liceat Fratri Minori ex vi Regulæ pecuniam tenere in manu Syndici a communi Capſa disjunctam.

Certum eſt, Fratres Minores nullum habere poſſe dominium, poſſeſſionem, aut uſum vel Stabilium, vel Mobilium, ſpecialiter vero pecuniæ, cujus ſola contrectatio eſt prohibita. Hoc evidenter probant Divi Franciſci regula, Bullæ, & Religionis Statuta. Regula quidem Cap. 4. ubi ſic dicitur: *Præcipio firmiter Fratribus univerſis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per ſe, vel per interpoſitam Perſonam* &c. & exinde eo ſemper ſalvo, ut (ſicut dictum eſt) *denarios, vel pecuniam non recipiant*. Item Cap. 5. præcipit Fratribus laborare pro neceſſitatibus, & ſubdit, ut de mercede laboris pro ſe, & ſuis fratribus corpori neceſſaria recipiant *præter denarios, vel pecuniam*. Et Cap. 6. *Fratres nihil ſibi approprient nec domum, nec locum, nec aliquam rem*.

Idem præſcribunt Bullæ, ex quibus tres adſerentur pro multis aliis uniformiter, & eodem modo loquentibus. Prima eſt Nicolai tertii *exit qui ſeminat* §. *ad majorem* de verb. ſignif. in 6. *Cum manifeſte pateat ex prædictis ipſos Fratres non ſolum a receptione, proprietate, dominio, ſive uſu ipſius pecuniæ, verum etiam a contrectatione qualibet ipſius, & ab ea pe-*

cunia

Digitized by Google

omnia penitus alienos. Et §. *Nec quicquam*: *Verum condecens fuit ei profeſſioni, quæ ſponte devovit Chriſtum pauperem in tanta paupertate ſectari, omnium abdicare dominium, & rerum ſibi conceſſarum neceſſario uſu fore contentam*. Eugenius 4. Proviſionis noſtræ. 1432. §. Circa ait: *Dico, & ordino quod Fratres omnino abſtineant a receptione, tactu, & congregatione pecuniarum*. Innocentius XI. Sollicitudo. 1679. *Aliarum enim rerum neceſſariarum poſſunt Fratres Minores de corpore Obſervantiæ hujuſmodi habere uſum*, (ſcilicet facti) *licet non dominium, denariorum autem nec dominium, nec uſum. Et proinde quævis contrectatio pecuniæ, ſeu denariorum &c. Fratribus Minoribus &c. eſt omnino prohibita*.

Etiam Statuta omnia præciſe hoc declarant. Ut duo ſumantur in generali Capitulo ſexageſimo ſexto habito 1625. ſub Urbano VIII. Cap. de reditibus annuis hæc habentur: *Cum annuos reditus ſicut cetera bona immobilia nobis habere non liceat, ideo renovantes antiqua generalia Statuta &c. ſi aliqua nobis fuerint relicta, nullo modo &c. exigantur*; & Capit. de pecunia. *Pœnæ etiam proprietatis in noſtris generalibus conſtitutionibus contentæ contra procurantes, vel habentes pecunias, vel eis utentes contra Regulæ noſtræ puritatem, ſine diſpenſatione aliqua executioni mandentur*. Sic Capitulum ſexageſimum ſecundum habitum 1595. Capit. de piis Legatis ait: *Quia vero annui reditus intra bona immobilia cenſentur a jure, ideo ea obtinere, & poſſidere paupertati, & mendicitati noſtræ repugnat, ut etiam S. Tridentina Synodo cautum eſt*; & Cap. de omnimoda rerum abdicatione ſubdit: *Hæc eſt igitur perfectionis via quam elegimus, ac ſancte profitemur omnium rerum proprietates ſalubriter abdicantes*; & Cap. de non recipiendis pecuniis: *Cum denariorum, & earum rerum omnium, quæ vel pretio æſtimantur, vel quarum uſum Fratribus habere non licet, receptio hic prohibeatur expreſſe &c.*

Sed inutile eſt hæc recenſere, & multo magis cetera addere, cum omnes Bullæ, cuncta Statuta, & ipſum Tridentinum Concilium hoc præcipiat, imo Auctor Libelli per totum librum id fateatur, & potiſſimum in Suppoſito tertio ubi ait: *Nullius omnino rei vel immobilis, vel mobilis dominium neque in particulari, neque in communi habent, ſed utroque modo ſimplicem uſum facti*. Super hoc igitur nulla quæſtio.

Convenimus ſecundo cum Auctore Libri, poſſe Fratres in aliquibus neceſſitatibus ad Spirituales Amicos confugere, cum ſic decernatur a Regula Cap. 4. *Tantum pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis per Amicos ſpirituales Miniſtri tantum, & Cuſtodes ſollicitam curam gerant ſecundum loca, & tempora, & frigidas Regiones, ſicut neceſſitati viderint expedire*. Similiter Syndicos inſtitutos eſſe a Summis Pontificibus pro ea obſervantiæ puritate, & pro iis cauſſis, quæ infra attingentur, eoſque Syndicos voluerunt eſſe, & intelligi debere ſpirituales Amicos. Tertio convenimus, Conventum nomine Eccleſiæ apud Syndicum habere poſſe pecuniæ depoſitum pro neceſſitatibus Fratrum, dummodo non ſit theſaurizatio, & aggregatio; quæ pecunia in commune eroganda ſit.

His firmatis, & cum Operis Auctore unanimiter conventis, modo videndum eſt, An depoſitum pecuniæ, quod Conventibus in communi dicto modo permittitur, cuilibet ſingulari Fratri ſit licitum, qui indiſtincte pro neceſſitatibus ſuis illud ſeparatum detineat a Capſa communi. Quod ut ventiletur, & clare innoteſcat, tria examinanda ſunt.

Primum. Cujus nomine Syndicus pecuniam detineat.

Secundum. Quot pecuniæ ſpecies debeant in Syndicos pervenire.

Tertium. Quo jure pecuniam detentam impendat.

CAPUT II.

Quoad primum, nempe cujus nomine Syndicus pecuniam detineat.

FRatrum Minorum Religio, ut ſupra probavimus, neque immobilia, neque mobilia, neque pecuniam, neque rem ullam ſub Cælo poſſidere poteſt. Servando puritatem regulæ adeo arctabatur in multis forſan in Regula non prævifis, ut ad Fratrum levamen Summi Pontifices inſtituere cogitaverint Syndicos, ad quos legitime pro neceſſitatibus ſuis recurrere poſſent. Non enim per ſpirituales Amicos in regula conceſſos ſuppleri poterat. Amici ſpirituales pauci ſunt, neceſſitates ſunt multæ. Oblata, donata, vel in Teſtamento relicta retineri non poterant, quia penes aliquem dominium eſſe debet. Idcirco, ſine regulæ derogatione, provida Conſtitutione ſanciverunt Syndicorum inſtitutionem, in quos pervenire debent quælibet pecuniæ ſpecies, nulla excepta, & dictis neceſſitatibus providere. Idcirco Nicolaus III. Cap. Exit de verb. ſign. in 6. §. Si vero, ſic ait: *Volumus, quod talis pecunia* (ſcilicet de rebus Fratribus relictis &c.) *recipiatur, & expendatur &c. per Procuratorem a præfata Sede, ſeu a Cardinali deputandum*. Sic etiam Martinus IV. Exultantes in Domino 1283. Syndicorum inſtitutionem jubet, exinde ait: *Et ipſos veros, & legitimos Syndicos &c. eſſe conſtituendos decernimus, qui res ipſas, & rerum prædictarum pretium, & prædictas Eleemoſynas recipiant &c.*

Pecuniæ vero in manum Syndici obvenientis, & quam pro Fratrum neceſſitatibus ipſe auctorizatur impendere, nullum habet dominium, neque eam cuſtodit tamquam Fratrum ipſorum Procurator, aut Depoſitarius. Neque enim pecunia ipſa ejus eſt, ut in eam dominium exerceat, neque a Fratribus eam recipit, aut recipere poteſt, cum poſſidere non poſſint, ut ſupra

pra dictum eſt. Eam igitur recipit, & detinet tamquam S. Sedis Procurator, quæ ad ſe advocat omnium rerum dominium, quæ pro Fratribus inſerviunt, & eas, vel earum pretium Syndico pro iis impendere permittit. Proviſio ſane ſalutaris, & ſancta, dummodo recte ſervetur, & regulæ ſit conſona, & Religioſorum neceſſitates ſublevet. Vide Cap. Exit de verb. ſignif. in 6. §. *Sed hac*, ubi poſt commemorationem eorum, quæ Fratres poſſidere non poſſunt, ſubdit: *Omnium &c. proprietatem, & dominium in nos, & Romanam Eccleſiam plene, & libere pertinere præſenti Conſtitutione in perpetuum valitura ſancimus*. Et Nicolaus III. in Conſtitutione Cardinalis Matthæi edita 1280. quæ incipit: *Venerabilibus in Chriſto*, loquendo de Syndicis ait: *Quia firmiter creditur, & ſperatur, quod per eos ſollicitudo diligens adhibeatur, & cautela, ut de rebus, pretio, & pecunia ſupradictis beneplacitum præfata Romana Eccleſia, cujus ſunt, impleatur, & fiat*. Idem exprimunt omnes Bullæ, quælibet Statuta; neque diſſentit Pithanophilus, imo expreſſe hoc confirmat in Definitione 6. Immobilia igitur, & mobilia, ſicut & pecunia Fratrum, pleno jure ſunt in poteſtate, & dominio S. Sedis Apoſtolicæ.

CAPUT III.

Quot pecuniæ ſpecies debeant in Syndicos pervenire.

MUltiplicis ſpeciei, ſeu a diverſis fontibus exoriri poſſunt pecuniæ in Syndici manus obvenientes. Deduci poſſunt ab Eleemoſynis, a Teſtamentis, a donationibus, a prædicationibus, a Miſſis &c. peculiariter etiam ab opera Fratrum.

Pecuniæ vero quomodocumque, & qualitercumque obvenientes, in Syndici manus pervenire debent Bulla Pauli IV. Ex Clementin. an. 1555. §. 7. *Ut ipſi Fra-*

Fratres ſecundum modos licitos &c. relictis ſibi &c. & aliis etiam pecuniariis ſibi quomodolibet oblatis, conceſſis, legatis, & donatis pro tempore, etiam pro Miſſis & aliis divinis Officiis, Eleemoſynis, & aliis rebus non fraudentur quod Generalis &c. poſſit nominare &c. qui res ipſas, & rerum prædictarum Eleemoſynas reciperent, & recipere poſſent. Similiter loquuntur omnes Bullæ, & omnia Religionis Statuta nullis exceptis: diſertim vero Conc. Trid. Seſſ. 25. de Ref. Cap. 2. quod jubet ipſa mobilia cujuſcumque generis Conventui incorporare; & Clemens VIII. in Decretis ſuper Ref. Regul. 1599. nullus omnino §. 3. præcipit cujuſcumque generis pecunias nulla excepta in Communi Capſa debere reponi, & cum communi pecunia confundi. Hoc quoque libenter fatetur Auctor libelli per totum opus, præcipue vero in Suppoſito tertio.

CAPUT IV.

Quo Jure Syndicus pecuniam detentam impendat.

CUM pleno aſſenſu Pithanophili probavimus pecuniam quamlibet ſive ex Teſtamentis, & donationibus, ſive ex oblationibus, & Eleemoſynis, ſive quacumque de cauſa provenientem in manus Syndici, eſſe in pleno dominio S. Sedis. Si eſt igitur S. Romanæ Eccleſiæ, Syndicus non poterit ſuo arbitrio eam expendere, cum ſit purus Depoſitarius, & ſolus Procurator a Summo Pontifice deſtinatus, nec ullum jus habeat neque in proprietate, neque in uſu. Eleemoſynas dantes, vel donantes, vel offerentes, vel pro Miſſis, Prædicationibus &c. aliquid ſolventes ſimiliter omni jure ſe privant. Vel enim debita ſolvunt, & dominium tranſit in Legitimum poſſeſſorem, qui eſt S. Sedes, vel donant, & Eleemoſynam tribuunt, & cum ipſa donatione, & Eleemo-

ſyna

ſyna integrum tranſit dominium in Eccleſiam, neque remanet penes ſolventem jus aliquod in proprietatem, vel uſumfructum. Conventus, Guardiani, Superiores, & Fratres multo minus habere poſſunt dominium, diſpoſitionem, vel uſum, cum a Regula, a Concilio, a Bullis, & ab ipſo Pithanophilo expreſſe prohibeantur, ut de omnibus ſingulariter ſupra probavimus, Cum igitur pro neceſſitatibus Fratrum impendenda ſit pecunia, Syndicus tamquam Procurator Sedis Apoſtolicæ eam cuſtodit, & expendit non ſecundum propriam voluntatem, non ob aliquod jus Superiorum, non ad Fratrum placitum., cum nullus eorum ſit Dominus, ſed ad ſolam, & unicam voluntatem S. Matris Eccleſiæ.

Hæc omnia adeo vera ſunt, ut in dubium revocari nequeant, & ab omnibus confirmentur. Hactenus igitur nulla diſputatio opus eſt, & cuncta ſunt infallibilia. Tamen conſiderandum eſt, ut plenius dilucidetur materia, An laboritia Fratrum cadant ſub eamdem diſpoſitionem, non quia in dubium revocari poſſint, ſed ut aliquorum inſcitia tollatur, & falſæ aliorum præventiones adimantur. Sit igitur

C A P U T V.

De pretio, vel utilitatibus Laboritiorum.

FRatrum Laboritia multiplicis generis ſunt. Ad duo tamen pro majori facilitate, & potiori diſtinctione reduci poſſunt. Ad labores manuum, ut artefacta quælibet, ſive manualia ſint, ſive ad liberales artes pertinentia, ut libros exemplare, pingere &c. Et ad emolumenta, quæ pro Dei ſervitio percipiuntur, ut Miſſarum Eleemoſynæ, prædicationum lucra &c. Pecuniæ, utilitates, & lucra a Laboritiis ipſis provenientia, cujuſcumqne generis ſint, nullo modo ad aquirentes Fratres ſpectant neque quoad proprietatem, neque quoad uſum, ſed in manus Syndici in

Digitized by Google

Capſa communi reponi debent, & ad Sanctam Sedem devolvuntur.

Hoc valde attendendum eſt. Omittitur enim a Pithanophilo hæc conſideratio, utpote quæ ad rem ſuam non facit, & explanato hoc puncto, parum, vel nihil remanet Fratribus ſingularibus unde poſſint pecunia abuti, regulam infringere, & ejus opinionem ſectari. Patet hoc ex Regula Cap. 4. ubi dicitur: *De mercede vero laboris pro ſe, & ſuis Fratribus corporis neceſſaria recipiant*. Si debent recipere neceſſaria *pro ſe, & Fratribus ſuis*: Ergo non pro ſe ſolis. Si autem non pro ſe ſolis lucrantur, ergo pro Communitate, pro Conventu, pro omnibus ſimul; Sanctus enim Franciſcus copulat omnes Fratres, & conjungit cum particula, & dicendo pro ſe, & Fratribus, quæ copulatio, & conjunctio omni lege, & neceſſaria legali interpretatione Communitatem ſignificat. Evidentius adhuc loquitur Bulla Clem. VIII. in Decretis ſuper Reform. Regul. an. 1599. Nullus omnino §. 3. *Quo Tridentini Concilii Decreta de paupertatis voto cuſtodiendo fidelius obſerventur, præcipitur, ut nullus ex Fratribus etiamſi Superior ſit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, cenſus, Eleemoſynas, ſive ex Concionibus, ſive ex lectionibus, aut pro Miſſis &c. aliove ipſorum juſto labore, & cauſa, & quocumque nomine acquiſita; etiamſi ſubſidia Conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut nomine Conventus poſſidere poſſit, ſed ea omnia ſtatim Superiori tradentur, & Conventui incorporentur, atque cum ceteris illius bonis, reditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit*. Conc. vero Trid. a Bulla citatum Seſſ. 25. de Ref. Reg. Cap. 2. ſic præcipit: *Nemini itaque Regularium &c. liceat bona immobilia, vel mobilia cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere, vel tenere, ſed*

ſtatim

ſtatim Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Omnia igitur laboritiis acquiſita cujuſcumque generis nullo penitus atque penitus excepto ſunt Conventus, Conventuique debent incorporari, & hoc non Auctorum opinione, non Statutorum, aut Pithanophili deciſione, ſed totius Eccleſiæ in Concilio congregatæ præcepto, & S. Pontificis clariſſima ſanctione. Sicut vero Minores Obſervantes poſſidere prohibentur, & eorum loco poſſidet S. Sedes Apoſtolica, ita in eam tranſit harum acquiſitarum rerum dominium, ut ſupra dictum eſt. Ante Concilium Paulus IV. in ſua Bulla ex Clementin. 1555. §. 8. idem ſancivit ſcilicet. *Ut ipſi Fratres ſecundum modos licitos, & congruos &c. relictis ſibi &c. & aliis etiam pecuniariis ſibi quomodolibet oblatis, conceſſis, legatis, & donatis pro tempore, etiam pro Miſſis, & aliis divinis officiis, eleemoſynis, & aliis rebus non fraudentur*, (dicit exinde quod Generalis poſſit nominare Syndicum, qui eas recipiat &c.) *Notentur verba horum Canonum Eleemoſynas ſive ex Concionibus, ſive ex lectionibus, aut pro Miſſis, aliove ipſorum juſto labore, & cauſa, & quocumque nomine acquiſita;* Alia verba Concilii *etiam quovis modo ab eis acquiſita.* Et alia verba Pauli IV. *etiam pro Miſſis, & aliis divinis Officiis, Eleemoſynis, & aliis rebus*, Poſſuntne clarius, & diſtinctius deſcribi Laboritia quælibet, & perſonales quæſtus? Cum autem decidunt, cujus ſint, dicunt: *Conventui incorporentur, Syndico aſſignentur &c.* Ergo ſunt Eccleſiæ. Ergo nullum dominium penes Fratres, neque in Conventu, ſi de Minoribus Obſervantibus ſermo ſit, cum neque dominium, neque uſum ex dictis habere poſſint.

Regula. Concilio, & Bullis perluſtratis audiamus quid dicant Statuta Religionis. Sambucana Cap. 5. §. num. 3. ſic ajunt: *Laboris vero merces, ſi pecunia fuerit, per ipſos ſolventes Apoſtolico Syndico conſignetur &c.* Et num. 4. *De mercede vero hujuſmodi, quæ Fratribus neceſſaria fuerint, Superiores locorum in com-*

muni quidem opportune provideant. Capitulum 36. celebratum 1430. ſub S. Joanne de Capiſtrano Cap. 5. hæc habet: *Statuimus, & ordinamus, quod Fratres &c. laborent fideliter &c. merceſque laborum, ſi pecuniaria fuerit, per ſolventem ſtatim aſſignetur Procuratori Conventus, ſive loci, quæ ſi pecuniaria non fuerit conſignetur Prælato ejuſdem loci, de qua poſſit omnibus Fratribus ibi commorantibus, prout neceſſitas exegerit, communiter providere*. Iiſdem fere verbis ſtatuit Capitulum 46. habitum 1553. Cap. 5. *Merces vero laboris juxta determinationem Martini, ſi pecuniaria fuerit, per ſolventes ſtatim conſignetur Procuratori Conventus, ſive Loci. Si vero pecuniaria non fuerit, ſub pœna inobedientiæ conſignetur integra per laborantes Prælatis ejuſdem loci, de qua poſſit omnibus Fratribus ibidem commorantibus, prout neceſſitas exegerit, providere*. Circa Miſſas Sambucana in Cap. de Miſſis ſic terminant: *Eleemoſynæ vero pecuniariæ, quæ pro Miſſis dicendis offeruntur, non poſſint, nec debeant recipi niſi per Syndicum*. Et de Prædicatoribus loquendo ſic: *Prædicatores quicumque Eleemoſynas (etiam prædicationis prætextu pro eiſdem oblatas) penitus non recipiant, nec de eis ipſi diſponere poſſint, ſed Syndicis Conventuum libere, & integre conſignentur*. Longum eſſet autem omnia Statuta recenſere, quæ tamen conformia ſunt a primis ad ultima, ut ne unum quidem in contrarium adduci poſſit. Et quidem exigit ratio, ut ea Religio, quæ Apoſtolorum mores ex regula profitetur, ut dicitur Cap. *exit* de verb. ſignif. in 6. §. Licet, hunc potiſſimum obſervet. Ait enim Apoſtolus: *Quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ*, communia ſcilicet reddendo ipſa laboritia. Verum igitur, inoppugnabile, & infallibile eſt, laboritia Fratrum, ſive manualia, ſive a ſpiritualibus derivantia, & omnia lucra in manus Syndici, qui eſt Capſa communis, pervenire debere, & in dominium Sanctæ Sedis cedere.

Dicta

Dicta colligendo, tria certiſſima ſunt, inoppugnabilia, ab omnibus Bullis, a Concilio, a Regula, & a Statutis præſcripta, ita ut temerarium ſit prorſum ea velle refellere contraire, nempe: Syndicum quamlibet pecuniam detinere non nomine proprio, non nomine aut Conventus, aut Fratrum, ſed ſolo nomine Sanctæ Sedis, & tamquam ejus Procuratorem, cum jus nullum neque circa proprietatem, neque circa uſum ſit apud ipſum, aut apud Fratres, ſed totum, & integrum ſit Sanctæ Matris Eccleſiæ.

Secundum. Quamlibet pecuniæ ſpeciem ſive ſit ex Teſtamentis, & donationibus, ſive a Prædicationibus, aut Miſſis, ſive ab Eleemoſynis, & Laboritiis Fratrum, ſive ex quacumque alia cauſa, in manus Syndici pervenire debere, & ab eo impendi.

Tertium. Pecuniam omnem, quam impendit Syndicus, cujuſcumque generis ſit, eam debere impendere non nomine, aut jure proprio, vel nomine Fratrum, aut Conventus, ſed ſolo nomine, & jure ſibi a Sancta Sede collato, tamquam ejus legitimo Procuratori. His firmatis, certa, facilis, & indubitata eruitur Concluſio antedicta.

CAPUT VI.

Non licere Fratri Minori pecuniam in manu Syndici tenere a communi Capſa disjunctam.

PEcunia, quam habet Frater, Syndicoque reſignat, Sanctæ Sedis eſt, ut ſupra probavimus, & inferius clarius eluceſcet. Quis eſt igitur, qui jus habeat diſponendi, ut ſeparata detineatur, & ſeparate impendatur? Frater non, quia neque jus, neque uſum habere poteſt ſuper ulla Mundi re, minus vero ſuper pecunia ter a Regula ſpecialiter prohibita, & a legibus. Syndicus multo minus. Qui enim inſtitutus eſt ad puriorem regulæ obſervantiam, corru-

prionis anſam præberet: Et excederet Mandati fines, cujus potiſſima ordinatio, ſeu commiſſio ex dictis Concilio, & Bullis ut pro communitas ſervetur. Nullus igitur eorum infallibiliter; Et ratio evidens eſt, quia de re aliena nemo diſponere poteſt, minus vero ſpecialiter a Regula, & ab Eccleſia prohibita.

Ut autem roboretur validius ratio antedicta, videamus, quodnam ſit Mandatum procurationis, quod habet Syndicus, ſive quænam ſit Eccleſiæ præſcriptio circa pecuniæ detentionem, aut Capſam, cum notum ſit, Procuratores nullo modo fines Mandati poſſe excedere, L. cum Mandati Cod. de Mandato, & L. diligenter ff. de Mandato. Clemens VIII. in dicto Decreto ſuper Reformatione Regularium, Nullus omnino. 1599. committendo executionem S. Concilii Tridentini, vult, declarat, & jubet, unam tantum detineri Capſam, in qua Conventus pecuniæ communiter conſerventur, & confundantur; dicit enim: *Sed ea omnia* (nempe pecuniæ, & lucra quælibet) *Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum ceteris illius bonis, reditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus, & veſtitus ſuppeditari poſſit.*

Idem præcipit Concilium Tridentinum Seſſ. 25. de Ref. Reg. Cap. ſecundo antelato: *Qualibet bona cujuſcumque qualitatis, & quovis modo acquiſita ſtatim Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.*

Statuta idem præcipiunt, ut ſupra oſtendi. Regula conformis eſt; Unde leges omnes uniformiter loquuntur; Et hoc Procurationis Mandatum.

Unica igitur eſſe debet Capſa, in qua Conventus pecuniæ detineantur, atque illas, cujuſcumque generis ſint, ſive ad Conventum pervenerint generaliter, ſive a ſingulis Fratribus acquiſitæ, Statuta, Concilium, & Bullæ jubent ſimul incorporari, unamque maſſam fieri. Et quaſi ſatis non dixiſſet Clemens VIII. addere voluit; *Et confundantur*, ita ut ab

aliis

aliis ſecerni, & diſtingui non poſſint. Et adhuc non contentus ſubjunxit: *quo communis victus, & veſtitus ſuppeditari poſſit*.

Nunc quid dicet Pithanophilus? Ipſe ait, poſſe Fratres ſingulos pecuniam in manu Syndici tenere a Capſa communi ſeparatam. Bulla, & Concilium vetat. Ipſe vult, non miſceri, & confundi. Bulla, & Concilium jubent miſceri, & confundi. Ipſe vult pecuniam a Fratre ut ſupra depoſitam, inſervire neceſſitatibus ejuſdem Fratris particulariter. Bulla, & Concilium volunt, inſervire, & impendi in communem victum, & veſtitum, hoc eſt in neceſſitates omnium Fratrum in communi. Ipſe vult, poſſe id fieri de aſſenſu Superioris. Bulla, & Concilium dicunt, neminem poſſe hoc facere, *etiamſi Superior ſit*. Quomodo igitur dabit quod non habet? Non habet auctoritatem id faciendi, & poterit eam alteri concedere? Dicat Pithanophilus: Eſt ne magis attendenda ejus deciſio, an vero ſollemne decretum Eccleſiæ totius in Concilio congregatæ, decretum ſummi Pontificis illud approbantis, & declarantis, Regula inſuper, & Religionis Statuta?

His ſtimulis ſe contorquet Adverſarius, & opponendo ait: Hæc incorporatio, & immixtio non eſt de eſſentia præcepti. Et de facto ceteræ Religiones de Superioris aſſenſu permittunt Fratribus ſuis pecuniam in Capſa communi ſeparatam tenere, & expendere in eorumdem Fratrum ſingulorum neceſſitates, quod ſi fieri nequiret, tot S. Religiones exequi non permitterent. Objectionem tandem ſtringit dicendo; nullam intercedere differentiam inter ceteras Religiones, & Minores Obſervantes, niſi in eo, quod reliquæ Religiones poſſidere poſſunt, & expendere nomine Conventus, & Minores Obſervantes non poſſunt neque tenere, neque expendere. Quod tamen facere poſſunt ex ſe ipſis dictæ Religiones, facere poſſe Minores Obſervantes ope Syndici, ita ut ſi-

cum Frater ſingularis alterius Religionis de aſſenſu Superioris poteſt & tenere, & pecuniam expendere in ſuas particulares neceſſitates, ita etiam Minor Frater ope Syndici ad ſuas neceſſitates particulares de Superioris aſſenſu poſſit tenere pecuniam a Communi Capſa disjunctam, eamque impendere.

Vere cæcutiens obvia quæque arripit, ut ſe ſuſtineat. Duo igitur examinanda ſunt, ut objectionibus plane ſatisfiat. Primum eſt: An incorporatio pecuniæ Fratris ſingularis cum communi maſſa Conventus ſit de præcepto Eccleſiæ, & an commixtio ſit de ejuſdem præcepti eſſentia. Secundum: An militet eadem ratio in exemplo ceterarum Religionum, & Minorum Obſervantium.

CAPUT VII.

Incorporatio pecuniæ Fratris ſingularis cum maſſa communi eſt de præcepto Eccleſiæ, & commixtio, ſeu confuſio in Fratribus Minoribus eſt de eſſentia ejuſdem præcepti.

Quod incorporatio ſit de Eccleſiæ præcepto, nullum eſſe poteſt dubium. Verba Concilii clara ſunt, & verba Bullæ, non conſultiva, non hortatoria, non monitoria, ſed præceptiva: *Nemini liceat præcipitur*, *ut nemo poſſit &c. Præcipere* non eſt conſulere, hortari, monere. *Non liceat* nullo modo poteſt intelligi, quod liceat, nam ſi eſſet pura monitio, hortatio, conſilium, certe liceret contrarium. De facto cunctæ Religiones tamquam præceptum illud agnoſcunt, & incorporationem bonorum de præcepto fatentur, apertioribus enim verbis loqui nequit Concilium, quam dicendo: *Neceſſarium eſſe cenſuit &c. præcipere*, *prout hoc decreto præcipit*, *ſtatim ea* (nempe bona cujuſcumque qualitatis) *Superiori tradantur*, *Conventuique incorporentur*. Non ſolum præcipit. ſed

præ-

præcipit hoc decreto, hoc eſt præcipit poſitivo præcepto, præcipit non conſulendo, ſed jubendo, non hortando, ſed rite ſanciendo, non monendo, ſed omnino imperando. Neget igitur ſiquis poteſt aut præceptum, aut præcepti vinculum, aut præcipientis auctoritatem.

Quod autem commixtio, ſeu confuſio pecuniarum ſaltem in Fratribus Minoribus ſit de eſſentia ejuſdem præcepti, examinentur verba Concilii, & Bullæ, eorumdemque finis. Præcipiunt pecunias incorporari, atque confundi. Duas igitur partes habet præceptum, quod incorporentur, & quod cum ceteris pecuniis confundantur. Copula *&* conjungit partes, & verbum *præcipio* utramque dirigit, & amplectitur, & ſuper utramque æqualiter cadit. Intelligatur enim aliter, ſi fieri poteſt. Quid dicerent tunc? Præcipio incorporari, & non præcipio confundi. Sed ſi dicit *præcipio incorporari, & confundi*, quomodo explanari poteſt, *præcipio incorporari, & præcipio non confundi*? Æqualiter igitur ſuper utramque partem cadit præceptum ſine ulla differentia, & eſſentia præcepti utramque amplectitur. Præterea ſi pecunia incorporetur, neceſſario confunditur, nam cum nummi ſint ejuſdem materiæ, incorporatione confunduntur. Et quidem quid eſt incorporari niſi corpus unum de multis conficere? Donec ſunt ſeparatæ pecuniæ, non poſſunt unum corpus conficere, ſed multa, & diverſa ſunt corpora. Finis vero legis evidentius demonſtrat an ſit de eſſentia. Hic declaratur illis verbis: *quo communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit*. Si enim incorporatio fieret ſolum in loco, verbi gratia in Capſa, ſed non vera incorporatione, & commixtione, ita ut pecunia communis victui, & veſtitui ſuppeteret, & pecunia particularis non, tolleretur finis legis, qui eſt ut etiam particularis pecunia communitati inſerviat. Sed quomodo quæri poteſt, an ſit de eſſentia? Vel eſt præceptum, vel non. Si eſt præceptum: Ergo eſt de

de eſſentia præcepti, non poteſt enim eſſe præceptum, & non habere præcepti eſſentiam. Si non eſt præceptum, vel e Concilio, & Bulla auferenda ſunt verba *præcipitur*, *hoc præcepto præcipit*: Vel declarandum eos non habuiſſe talem auctoritatem, vel ſtultam fuiſſe Eccleſiam. Dicat ex his quæ velit Adverſarius.

Diximus in prædicta propoſitione, hanc pecuniæ commixtionem maxime in Fratribus Minoribus eſſe de eſſentia præcepti. At Auctor Libelli dicet: Ergone peccant continuo aliarum Religionum Fratres, qui pecuniam habent quidem in Capſa Communi incorporatam, ſed non commixtam, & cum ceteris pecuniis confuſam? Facillime reſpondetur, & unico contextu ſolvitur ſecundum punctum ſupra propoſitum, nempe.

CAPUT VIII.

Eadem ratio non militat inter ceteras Religiones, & Minores Obſervantes.

VOtum paupertatis idem eſt inter omnes Fratres cujuſcumque Religionis, neque a paupertatis voto alia magis alia gravatur. Sed Minores præter votum habent regulam firmiter eis inhibentem quodcumque dominium, poſſeſſionem, aut uſum cujuslibet rei tam in communi, quam in particulari, ſpecialiter vero pecuniæ. Ex vi voti nullus Frater cujuſcumque ſit Religionis in particulari poſſidere poteſt. Tamen poſſeſſionem, & dominium rerum, quod Fratri ſingulari prohibitum eſt, Conventui, ſeu Communitati ceterarum Religionum non eſt vetitum: immo Concilium Tridentinum, & Pontificum Bullæ eis dominium, reditus, & uſum expreſſe permittunt. Pari modo Fratres Minores ex vi voti univerſalis de paupertate in communi poſſidere poſſent, niſi Regula obſtaret, & a Bullis, & Statutis prohiberentur. Cum igitur alienarum Religionum Conventus poſſint poſſi-

poſſidere, Superiores nomine illorum poſſident, & verum Dominium repræſentates poſſunt non ſolum poſſidere, & Capſam tenere, ſed particularibus Fratribus licentiam impertiri, ut aliquam pecuniam, vel pecuniam ab eis acquiſitam in ſuas neceſſitates, & commoda, & utilitates impendant. Nihil in hoc eſt contra voti eſſentiam. Fratres enim pecunia utentes, eam detinent, & impendunt non tamquam propriam, ſed nomine Conventus, a quo hanc cognoſcunt facultatem, & libertatem, & cujus fiunt quodammodo Actores, vel Procuratores.

In Fratribus autem Minoribus nullum ex his fieri, aut verificari poteſt. Nullum ſuper quamcumque Mundi rem, præcipue vero in pecuniam poſſunt habere dominium, poſſeſſionem, aut uſum neque nomine Conventus, neque nomine alicujus Fratris particularis: non poſſunt igitur Fratres neque propria auctoritate, neque tamquam delegati, vel auctorizati a Superiore detinere, aut detineri facere pecuniam, quia Superior non eſt Dominus, immo æque prohibetur, ac reliqui Fratres iis verbis Bullæ, *etiamſi Superior ſit*, Nemo enim poteſt alteri jus cedere, quod ipſe non habet. Syndicus vero, qui eſt Procurator, & agit nomine Eccleſiæ, non ſolum auctoritatem non habet diſpenſandi Fratrem, ut pecuniam teneat minime incorporatam, & cum cæteris pecuniis confuſam; ſed in ſuo procurationis mandato expreſſe jubetur eam debere incorporare, & confundere, ita ut ſi hoc faceret, vel concederet, mandati fines non obſervaret, & in nullitatem actus incurreretur. Non eſt igitur verum quod effingit Pithanophilus, Fratres Minores de aſſenſu Superioris per manum Syndici poſſe facere omne id, quod facere poſſunt ceteri Fratres alius Religionis, quia ceterarum Religionum Fratres auctorizantur a rerum Domino, qui eſt Superior nomine Conventus: Fratres vero Minores neque a Superiore, neque a Syndico auctorizari poſſunt; &, quod pejus eſt, a Domino, qui eſt S. Mater Eccleſia, ſtrictiſſime inhibentur.

Ulte-

Præterea Fratres aliarum Religionum ex vi voti pecuniam, & res tantummodo poſſidere prohibentur tamquam Domini, ſed eam tenere, contrectare, & impendere tamquam bona Conventus, & de Superioris licentia nulla prohibitione arctantur. Minores vero non ſolum tenere, contrectare, & impendere tam per ſe, quam per interpoſitam perſonam expreſſe a ſua regula, & a Bullis vetantur, ſed æque vetantur & Superiores, & Conventus, & Ordo, unde a nullo habere poſſunt hanc facultatem niſi ab Eccleſia, quæ immo ſtrictioribus præcepti verbis id vetat. Quod igitur pares reddit inter ſe ceteras Religiones cum Minoribus Fratribus nempe votum, inæquales reddunt regula, & Eccleſiæ præcepta ſuper regula. His ſubtilitatibus everſis, quæ potius ſubterfugia, & pernicioſa commenta nominari poſſunt, videamus ſi quæ ſint aliæ probationes noſtræ propoſitionis, nempe: Non licere Fratri Minori ex vi Regulæ pecuniam tenere in manu Syndici a Communi Capſa disjunctam.

CAPUT IX.

Statutis Religionis comprobatur Cap. 6. prædictum.

Capitulum generale 56. Salmanticæ habitum an. 1553. & a Julio III. approbatum Cap. 5. ſic jubet: *Merces vero laboris, ſi pecuniaria fuerit, per ſolventes ſtatim conſignetur Procuratori Conventus &c. de qua poſſit omnibus Fratribus ibidem commorantibus communiter (prout neceſſitas exegerit) providere.*

Capitulum generale 62 Valliſoleti habitum an. 1593. Cap. de omnimoda rerum omnium abdicatione ſic ait: *Omnes itaque Locorum proventus, cujuſvis generis ſint, Elecmoſynas item, & quæſtus præterea, legata quoque, & bona mobilia quæcumque, & quæ donationis item, vel alia quavis de cauſa obvenerint &c. omnes in communem uſum, & utilitatem conferant, ut S.*

ut S. etiam Tridentina ſanctione, & regularibus Sanctorum Patrum inſtitutis jam ſancte cautum eſt.

Capitulum generale 66. Salmaticenſe an. 1618. ſeu Segovienſe 1621. Cap. de eſu carnium, & vita communi ait: *Ordinamus etiam &c. Miniſtri, & Cuſtodes ſollicitam curam gerant, quod de Eleemoſynis, & rebus aliis, quæ obvenerint Conventibus, per Guardianum provideatur moderate juxta Eleemoſynarum, & obventionum hujuſmodi quantitatem in communi.*

Capitulum Sambucanum an. 1663. Cap. 5. hæc definit: *De mercede de vero hujuſmodi* (loquitur de laboritijs) *quæ Fratribus neceſſaria fuerint Superiores locorum in communi quidem opportune provideant.* Exinde Cap. 9. de Eleem. Prædicat. oblatis ſubdit.: *Omnibus Ordinis noſtri Concionatoribus in virtute S. obedientiæ &c. auctoritate Apoſtolica præcipimus, & mandamus, ut de Eleemoſynis pecuniariis ſibi oblatis, vel aſſignatis nullo modo diſponant &c. nec in manibus Procuratoris, ſive alterius cujuslibet deponi faciant, ſed eaſdem integras Provinciali notificent, qui de illis juxta regulæ præſcriptum diſponat, eaſque applicet vel Conventui, in cujus quæſtuatione prædicatur, vel de cujus familia Procurator ipſe dignoſcitur.*

Ut rationis vis in Religionis Statutis eluceat, memorandum eſt quod ſupra probavimus, & quod jam Pithanophilus concedit, nempe Fratres Minores nullius rei, aut pecuniæ poſſe dominium habere, & omnia eſſe in pleno jure S. Sedis Apoſtolicæ, omneſque pecunias in Syndici manus deponendas eſſe tamquam ejus S. Sedis Procuratoris. Omnia igitur S. Sedis ſunt. Præcipiunt autem Statuta debere impendi in communi, dicendo *de qua poſſit Procurator omnibus Fratribus communiter providere. Omnes in communem uſum, & utilitatem conferant jam ſancte ſancitum eſt. De Eleemoſynis, & rebus aliis provideatur in communi. In communi quidem provideat. Eleemoſynæ Prædicatorum integræ Provinciali notificentur, qui juxta Regulæ præſcriptum eas applicet vel Conventui,*

ubi

ubi prædicatur, *vel ei de cujus familia eſt Prædicator*. Ergo per Statuta non poſſunt Fratres ſingulares in manu Syndici pecuniam tenere a communi ſeparatam, ſed cum communi debet incorporari, & confundi.

At, ſi Auctor Libri tam acriter propugnare intendit ſuam propoſitionem, quare non munit eam neque Regula, neque Bullis, neque Statutis. Quod non curet Actores, eſt multum, ſed omittatur; Quod negligat Statuta, eſt aliquid plus. Quod non oſtendat fundamentum neque in Regula, neque in Bullis, neque in Concilio, nimium eſt. In tota vero Regula, in toto Concilio, in omnibus Bullis, in cunctis Statutis non poterit demonſtrare hanc deciſionem: Quod liceat Fratri Minori pecuniam tenere in manu Syndici a Capſa Communi disjunctam, ſuppoſita etiam qualibet Superioris licentia. Et tamen de hac re omnes hi Textus expreſſe loquuntur, ut ſupra demonſtravimus. Demonſtret ſi poteſt aliquam legem. Libentiſſime invitamus eum, eumque precamur. Quod typis mandavit, legibus probet, erubeſcunt enim Canoniſtæ ſine lege loqui.

CAPUT X.

Idem probatur ex Regula.

SAnctum Franciſcus in Cap. 6. præcipit Fratres ſuos *nec domum, nec locum nec aliquam rem ſibi appropriari, ſed vadant pro Eleemoſyna confidenter*, eos exhortatur non verecundari Eleemoſynam quærere, & eſſe pauperes, exinde ait: *Hæc ſit portio veſtra, neque aliud in perpetuum ſub Cælo habere velint, præſcribit*. Unde omne Minorum jus eſt Eleemoſynam petere, & eorum inſtitutum eſt de Eleemoſynis vivere, & de laboritiis ſuis, ut jubet in Cap. 5. Audiamus nunc quo modo fieri jubeat; *De mercede vero laboris pro ſe, & ſuis Fratribus corporis neceſſaria recipiant*. Pithanophilus

philus forſan non vidit ly *& pro ſuis Fratribus*; ſed melius legat, & inveniet. Non ponit disjunctivam dicendo pro ſe, aut pro ſuis Fratribus, ſed conjunctivam *&*. Communis igitur debet eſſe uſus, commodum, & utilitas acquiſitorum. Sed ne cavillationes ſuper tam evidenti verborum contextu inveniat, recenſeamus quid ſuper verbis hujus regulæ dicatur in Clementina *Exivi* de verb. ſignif. in 6. §. niſi. *Fratres enim quicumque ſtudio, vel divinis miniſteriis non vacantes, ſed aliorum Fratrum ſtudio, vel aliis divinis Officiis, & miniſteriis vacantium ſervitiis inhærentes tantum, pro ſervitiis eiſdem cum ipſis, quibus ſerviunt, ſuſtentari merentur; quod aſtruitur illa æqua lege, qua ſtrenuus pugnator ille David juſte decrevit, videlicet, quod deſcendentium ad prælium, & remanentium ad ſarcinas portio æquaretur*. Poteſt ne clarius Pontifex declarare rationem, quare omnia inter Fratres Minores debeant eſſe communia non animo, ut emendicat Adverſarius, ſed facto cum æqua diviſione, non *pro ſe* tantum, ut ait regula, ſed *pro ſe, & ſuis Fratribus?* Non tandem ut potentiam habeant quodammodo ad neceſſaria obtinenda, hoc eſt ſi Superior conceſſerit, ſed *ut corporis neceſſaria* de facto, & realiter omnes recipiant?

CAPUT XI.

Idem deducitur a Virorum Sanctorum Religionis exemplis.

ARmis Adverſarii eum debellaturus, me quoque promiſi Doctorum auctoritate non uſurum, licet apud me magnam vim habeant, & venerationem obtineant, maxime ſi Sancti fuerint, & fideliter promiſſa ſervabo. At ſicuti in rebus ad Religionem ſpectantibus morem Eccleſiæ intueri, & imitari congruum, immo neceſſarium eſt, ſic ejus imitationem Adverſario proponendam duco. Tam ad inimicos debellan-

bellandos, quam ad veritatem comprobandam, tribus armis ſolet uti Eccleſia tamquam tutiſſimum ſuarum opinionum, ac deciſionum propugnaculum. Primum eſt lex, ſeu ſacroſancta ſcriptura. Secundum eſt Sanctorum Virorum traditiones, & praxis. Tertium eſt Doctorum Eccleſiæ venerabiles opiniones. Si enim ad ſolas rationes tamquam fundamenta recurreret, non deeſſent adminicula, ſubterfugia, ſiniſtræ interpretationes, apparentes probationes, ſubtilitates, & fallaciæ pernicioſæ, ut videmus in præſenti quæſtione. Adhibet quidem rationes ad confirmandas, & ſuſtinendas leges, traditiones, atque dicta Sanctorum, ſed illis tribus potiſſime innititur tamquam fulcris, & infallibilibus veritatis fundamentis. In Seraphica Religione neque lex, neque Doctorum Sanctorum traditiones, & opiniones, neque eorum deficit praxis venerabilis. Si de lege ſit ſermo, ne una quidem in toto Auctoris libro non truncata, ſed pura invenitur, quæ ejus opinioni adhæreat. Multæ quidem ſunt, ut oſtendimus, non obſcuræ, non ambiguæ, ſed claræ, & diſtinctæ ejus opinionem evertentes. Deciſionum legis ipſe oblivíſcitur, non videre ſe fingit, & ridicula ſubtilitate ſubſtantia legis obliterata, neſcio grammatico, an logico more, ſi quæ ſunt verba neceſſitatibus Religionis honeſte, & ſancte faventia, nihilque Regulæ derogantia, ea metitur, extendit, dilatat, quaſi lex ſit accidens, & quid a verbis dependens, & non verba a legibus. Unicam vero legem oſtendere non poterit inter tot & tantas in ſuo opere allatas. Si de Doctoribus Sanctis loquamur, traditiones multas reliquerunt de uſu primitivæ Religionis, quarum tamquam perantiquarum non erat ignota Seraphico Patri intentio, & praxis. De his Pithanophilus ne verbum quidem. Si de Sanctis Religionis ſermo ſit, ne unius quidem, qui pecuniam Auctoris modo tenuerit, opinionem adducat, qua firmet poſſe ſingularem Fratrem depoſitum ſeparatum tenere ut ſupra. Dignetur Adverſarius ſecundam hanc

invi-

invitationem non reſpuere. Uſu venerabilis Eccleſiæ ſuam firmet opinionem. Legem adducat ſuæ opinioni faventem, & ſine verborum diſtorſione decidentem, quæ ſupra jam a nobis adductas evertat, & deleat. Traditiones Sanctorum Doctorum inveniat, quæ de praxi veteris Religionis, & de Seraphici Patris mente certiores nos reddat. Sanctorum Religionis, qui tot, & tanti ſunt, & de quibus Ordo gloriatur, demonſtret unum tantum pecuniam ſeparatam ſuo modo depoſitam tenuiſſe. Poſſibile ne eſt inter tot, & tantos Sanctum unum tantummodo non invenire? Et tamen ſic habet: Unum non inveniet. Ex hoc autem Adverſarius, & quilibet ejus opinioni faventes falſitatem, atque erroneitatem ſuæ opinionis dignoſcere deberent tamquam contrariam legibus, traditionibus, & uſui omnium SS. Patrum. Si cum lege, & cum Sanctis nolumus nos conformare, cum quibus conformabimus nos?

De more excuſationes non deſunt ei. Tribus modis, dicit, poteſt lex obſervari, perfectiori modo, perfecto, & tuto. Perfectiori modo utuntur Sancti, perfecto viri timoratæ conſcientiæ, tuto omnes Religioſi. Sed peto ab Adverſario, quamnam quæſtionem habeamus. Unica eſt: An Frater poſſit de licentia Superioris pecuniam tenere in manu Syndici a communi disjunctam, an vero non poſſit. Hæc certiſſime eſt quæſtio. Ipſe dicit teneri poſſe. Ego dico non poſſe. Videt ſuarum probationum vitium, idcirco Lectorem inducit ad aliam quæſtionem quinam modus perfectior ſit. Non habemus quæſtionem de modo. Probet ſuam opinionem jure, & canonice, exinde quærat, quonam perfectiori modo fieri poſſit. Ceterum ſi licitum eſſet ejus modo habere pecuniam, adhuc dici non poſſet eſſe perfectionem majorem pro neceſſitatibus urgentibus non tenere. De facto pene infinitos Sanctos legimus pecunias habuiſſe, & continuo pro Eleemoſynis, ac piis operibus impendiſſe. Erant ne propter hoc minus perfecti? Tot Sanctos in Eccleſia

cognoſcimus pecuniam tenentes, & ſoli Seraphicæ Religionis Sancti hanc perfectionem docuerunt? Fateatur igitur non hunc perfectionis modum, ſed legis vinculum eos alienaſſe ab hac palliata pecuniæ poſſeſſione; & ſunt Tridentinæ Synodi decreta, Bulla Clementis VIII. Regula, & Statuta, quibus infallibile Eccleſiæ præceptum probatur, & demonſtravi Cap. VII. quod Lector perluſtrare dignetur.

CAPUT XII.

Idem probatur ab abſurdis.

UNica in Religione eſt paupertatis profeſſio, *nec meum, & tuum durum illud Verbum*, ut dicitur in Clem. exivi inter Fratres audiri debet. Si admitteretur Fratres habere poſſe pecuniam a communi ſeparatam, certe omnes non eſſent æqualiter pauperes. In Religione alii concionando, alii docendo, alii operando lucrari poſſunt; ſed omnibus non eſt par ingenium, unde plurimi nequeunt, & plurimi lucrari impediuntur, ut qui Religioni ſerviunt in Officiis totum hominem requirentibus. Peto ab Adverſario quinam ſunt pauperiores, qui depoſitum tenent, an qui nihil habent? Ubi eſt igitur æqualis paupertatis profeſſio? Reſpondebit: Curent & ipſi aliquid lucrari. Ergo ceſſat communitas a Concilio, a Bullis, & a Regula appetita, & præcepta. Præterea quid abſurdius, quam videre Fratres ceteroquin omni virtutum genere ornatos alios qui pro Conventibus totis ſuis viribus operantur, magis vero ipſos Superiores pauperes, utpotequi acquirere non poſſunt: alios vero ementita paupertate omnibus commoditatibus, & utilitatibus abuti. Hæc eſt voluntas S. Franciſci? hac intentione paupertatis regulam approbavit Eccleſia? Nec ſufficit. Si hoc admitteretur, in Religione, ut notum eſt, aliqui ſunt ex Nobilibus, aliqui ex divitibus Familiis, ſed plurimi vel pau-

pauperis fortunæ, vel a Conſanguineis minime adjutis ſi, inquam, liceret, quod aſſeverat Auctor, quid facilius divitibus, quam commodam ſuo modo, immo divitem tranſigere paupertatem, (quoniam ipſe commoda, & utilitates fere omnes admittit), dum reliqui Fratres mendicare coguntur? Ecce expulſa æqualitas, proſcripta paupertas illa altiſſima, de qua gloriatur Religio; & ordo ipſe religionis vivendi de Eleemoſynis, & de laboritiis in evidenti periculo ſe convertendi in palliatos livellos titulo Eleemoſynæ factis, & a Conſanguineis requiſitis vel ante, vel poſt profeſſionem, nam nil facilis divitibus, quam a ſuis hæc obtinere. Æqualis igitur paupertatis profeſſio, præceptum perfectæ communitatis, S. Franciſci regula, intentio Eccleſiæ pauperem Ordinem confirmantis hæc reſpuunt abſurda, neque poſſunt admittere.

CAPUT XIII.

Idem rationibus confirmatur.

UT ſeparatum a communi depoſitum teneri poſſit, certe aliquod jus oſtendi debet. Nam ſi ego vellem pecuniam alterius hoc vel illo modo tenere, & conſervare, reſponderetur mihi, quid juris habes, ut in alterius re velis præſcribere? Hoc jus vel eſt in Superiore, vel in Fratre particulari, vel in Syndico. Sed nullus horum hanc facultatem habet. Superiores, & Fratres ſinguli, ut fatetur Pithanophilus, & ſupra diximus, nullum dominium habent, nec poſſunt habere; immo precario nomine, & pro Eleemoſyna Syndico ſuas neceſſitates exponere debent, & deprecari ut eis ſubveniat. Ad Syndicum vero non recurrunt tamquam jus aliquod habentes; ſunt enim bona Eccleſiæ, ſed tamquam ab Eccleſia adjuti, & pro Eleemoſyna neceſſaria recipientes. Omne jus Superioris eſt Fratrum neceſſitates dignoſcere, unam præ alia ſeligere, & Syndico exponere. Si aliud ſibi ar-

rogaret, dominium oſtenderet, jus haberet, quod omni lege vetatur. Sicuti vero nullum dominium, aut jus circa detentionem, aut impenſionem pecuniæ eſt penes Fratrem particularem, vel Superiore, ita nec eſt penes Syndicum. Quid enim eſt Syndicus, niſi Eccleſiæ Procurator? Cujus bona adminiſtrat, niſi Eccleſiæ? Cujus ordine, & mandato recipit, detinet, & impendit, niſi Eccleſiæ? Non poteſt igitur pecuniam detinere niſi ſecundum Eccleſiæ præſcriptionem. Vult autem Eccleſia detineri, & impendi pecuniam in communi, & quomodocumque acquiſita fuerit ſive a particularibus, ſive a Conventibus, in communem Capſam deponi; & poterit Syndicus vel propria auctoritate, vel cum Fratribus connivendo Concilii, & Pontificum voluntatem tranſgredi, mandati fines excedere, & licite non obſervare?

Secundo. Si dicto modo Frater ſingularis pecuniam conſervate poſſet, quænam differentia eſſet inter ceterarum Religionum paupertatem, & paupertatem Minorum? Certe vel nulla, vel nullius momenti. Unica eſſet differentia, quod ceteri Fratres de licentia Superiorum ex ſe ipſis poſſunt tenere, & expendere pecuniam: Minores vero non poſſent niſi per Syndici manus. Si ſic eſt, o ridicula tam jactata Minorum altiſſima paupertas. Peto ab Adverſario, num libentius acciperet centum aureos cum libertate eos impendendi manu propria; an vero eligeret quingentos cum ea lege, ut ſint quidem ad ſuum arbitrium, ſed impendere teneatur aliena manu? Oporteret ſtultum eſſe ſecundum oblationem non ſeligere; quænam enim diverſitas niſi in apparentia, & in modo? Immo cum minori incommodo, & periculo, & cuſtodiæ anguſtia. Nec Reges, nec magni Domini pecuniam tenere, ac impendere curant, & tamen altiſſimam paupertatem non voverunt, & tamen divites ſunt. Adverſarius tenet forſan, altiſſimam paupertatem conſiſtere habere loculos, & impendere per Miniſtrum. O æſtimabilis, & dulcis ejus modo paupertas. Ipſe quoque vellem

lem theſaurum habere ad mei placitum, & poſſe aliena manu impendere; ſed quis me pauperem judicaret? Nulla differentia eſt in lege aliquid facere ex ſe ipſo, aut poſſe facere aliena manu. Qui enim per alium facit, per ſe ipſum facere videtur. Et ecce poſſeſſio, ecce apertus pecuniæ uſus aliena manu factus, qui per legis aſſertionem idem eſt ac factus manu propria.

Tertio. Supponamus Superiorem licentiam concedere Fratri Minori, ut ex ſe ipſo pecuniam teneat, & in neceſſitates impendat. Certum eſt, & contra Regulam, & Eccleſiaſtica præcepta peccare tam Fratrem pecunia hoc modo utentem, quam Superiorem licentiam dantem, & hoc concedit in ſuo Opere Auctor Libelli. Sed Minor nec per ſe, nec per interpoſitam perſonam tenere poteſt, aut uti pecunia ex quarto Cap. Regulæ dicentis: *Præcipio firmiter Fratribus univerſis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per ſe, vel interpoſitam Perſonam.* Ergo non poteſt tenere, & uti per manus Syndici, qui eſt interpoſita Perſona.

Decet Fratrem hoc modo non tenere pecuniam per interpoſitam Perſonam, quia eam illi conſignando, tradit in manum Eccleſiæ. Ergo non poteſt tenere niſi in Capſa Eccleſiæ cum illius bonis confuſa, & incorporata, ut præcipit Eccleſia. Ergo non poteſt tenere disjunctam. Hæc ratio ſerio advertatur.

Quarto. Bullæ Pontificum nullo alio modo, nullaque alia ratione concedunt teneri pecuniam a Syndico niſi pro neceſſitatibus Fratrum; & omnis ratio exigit eam in majores neceſſitates prius impendere, exinde in minores, & multo magis in neceſſarias, quam in commoda, & utilia. Cum igitur in Conventu multi ſint Fratres non acquirentes, & ideo multis indigentes, debent impendi pecuniæ primum pro iſtis, exinde pro aliis minorem neceſſitatem habentibus, etiamſi acquirentes ſint: multo magis

vero pro neceſſitatibus illorum, quam pro commodis, & utilitatibus aquirentium.

Quinto. Ut pecunia jubeatur disjuncta teneri a communi, aliquo imperante fieri debet. Syndicus enim, ſi nullus juberet, certe in communi Capſa eam reponeret. Vel Superior hoc jus non habet imperandi, vel habet. Si hoc jus non habet, ergo non poteſt hoc jubere. Si autem habet. Ergo aliquod jus ei confitendum eſt contra Regulam, Bullas, & Statuta. Diſponit enim de pecunia, ut illi Fratri inſerviat, & aliis non., ut potius hoc modo conſervetur quam alio, ut non confundatur cum communi contra præceptum Concilii: denique dat legem Syndico ſuper re non ſua, & id facere cogit, quod ex ſe ut Procurator non faceret.

Super hac re valde notandum eſt diverſitatem inter cetera Fratrum mobilia, & pecuniam. De mobilibus, & quibuſcumque aliis rebus Minores, ut notavimus, neque dominium, neque uſumfructum, neque uſum habere poſſunt, ſed tamen habent uſum facti, quia facto & veſtes, & cibum, & libros habere poſſunt. Dicitur autem uſus facti, quia facto hæc habere debent, non quia jus habent utendi ea re, quia illud eſſet jus utendi, & jus utendi eſt quædam dominii ſpecies, ſed quia de facto tale illud neceſſarium obtinere debent non in tali ſpecie particulari, ſed generaliter, ut verbi gratia aliquam veſtem habere debent, ſed non talem, vel talem, quia ſi eſſet particularis, eſſet jus uſus talis rei, non jus facti. E contra in pecunia jus facti non poteſt admitti. De facto pecunia ad nihil inſervire poteſt pro qualibet neceſſitate. Pecunia enim non veſtit, non alit hominem, & nullum commodum, aut utilitatem, aut neceſſitatem per ſe præſtare poteſt. In pecunia igitur Fratres nullum uſum habere poſſunt. Si enim eis ſolum dominium facti conceditur, ut notat Pithanophilus, & in pecunia dari nequit, nihil omnino de ipſa, vel circa ipſam diſponere poterunt. Quo

jure

jure igitur ſeparatum pecuniæ depoſitum jubere poterunt?

Opponit Adverſarius Statuta Sambucana Cap. 4. n. 8. & 9. in quibus dicitur: *Nemo ſine Superioris licentia Eleemoſynam pecuniariam pro ſe &c. accipere audeat ſub pœna proprietarii, qua etiam punitur, qui ſine Superioris licentia Eleemoſynam pecuniariam in manu Syndici Apoſtolici tenuerint &c. Nec Prælatorum quiſpiam alicui Subditorum licentiam accipiendi, vel dandi pecuniam in univerſum concedat, ſed peculiaris facultas ſit ſemper neceſſaria*. Ex quo deducit facultatem in Superiore Fratri ſuo concedendi licentiam, ut pecuniam teneat apud Syndicum.

Hæc objectio captioſa eſt, & confuſionem involvit, ut obtineat per fallacias, quod per rationes obtinere non poteſt. Solita ſua arte primam propoſitionem relinquit, & ad aliam ſe vertit. Non eſt quæſtio, An Minor teneatur pecuniam deponere, & tenere de licentia Superioris in manu Syndici: Certum eſt neque accipi poſſe, neque deponi niſi de illius licentia. Neque quæſtio eſt, an Superior poſſit pecuniam applicare pro neceſſitatibus alicujus Fratris imminentibus, urgentibus, & præſentibus, cum Regula, Bullæ, & quælibet Statuta id permittant. Sed quæſtio eſt, an de licentia Superioris poſſit Minor tenere pecuniam a communi depoſito ſeparatam & pro neceſſitatibus futuris, nam dicit Adverſarius hoc fieri poſſe uſque ad mortem, & quaſi ultra. Sambucana neque dicunt poſſe teneri a communi ſeparatam, quæ eſt maxima quæſtio, neque dicunt poſſe teneri per tempus longum; immo eodem Cap. num. 14. definiunt, nullum *ad pecuniam poſſe recurrere niſi exiſtente vera, præſenti, aut imminenti neceſſitate*; Et Cap. 5. n. 4. *vitam communem præcipiunt*. Sed de hoc fuſius tractabimus Cap. 14. Miror quidem, quam facile Pithanophilus ſuarum aſſertionum obliviſcatur. Dixit, ſe Statuta non curare, neque Auctores. Exinde quia putat Sambucana ad rem ſuam facere, promptiſſi-

ptiſſime quaſi in triumphum ea adhibet. Meminerit tamen horum Statutorum, & auctoritatem, quam pro ſe agnoſcit in illis, non pigeat etiam mihi concedere, quoniam ſæpe iis Statutis utar ad veritatem eruendam, & objectiones diluendas.

Sed quoniam aliquod dubium poteſt inſurgere contra dictam propoſitionem tot legibus, & rationibus roboratam circa pecunias ab Amicis ſpiritualibus oblatas, nonnulla de iis pertractanda puto. Sit igitur

C A P U T XIV.

De pecunia a Spiritualibus Amicis oblata.

SIcuti in Fratrum neceſſitatibus ſaltem aliquibus ad Amicos ſpirituales per regulam licet recurrere, & aliquando vel recurrentibus, vel non recurrentibus Fratribus Eleemoſynæ offeruntur, ita duplicis generis poteſt eſſe oblata pecunia. Vel oblata Communitati, vel Fratri ſingulari. Utrolibet modo concedatur, aut ſibi dominium, & diſpoſitionem reſervat, & ejus voluntas in rebus licitis, & a regula permiſſis ſervanda eſt tali modo, ut ſi quid neceſſitatibus ſuppletis, reliquum fuerit, ſuum ſit. Aut dominium, & diſpoſitionem ſibi non reſervat, & tunc cum ceteris denariis in manus Syndici, & in dominium S. Sedis pertranſeunt, quia nihil aliud ſunt niſi oblationes, Eleemoſynæ, donationes &c. quæ in Capſam, & maſſam communem reconduntur, ut ſupra oſtendimus.

Contingere tamen poteſt, ut alicui Fratri conferatur pecunia ea conditione appoſita, ut neceſſitatibus illius Fratris debeat tantummodo inſervire, & non aliorum; & præterea ut aſſignetur tanta pecuniæ quantitas, quæ per longum tempus ſupplere poſſit illius Fratris indigentias.

Licet hic caſus de raro contingat, cum difficile ſit

Ami-

Digitized by Google

Amicos ſpirituales adeo liberales invenire, tamen quia evenire poteſt, attingendus eſt, ut ad reliqua lumen afferat. Diſtinguendæ igitur ſunt hæc ſpiritualium Amicorum præſtationes. Vel ſunt pro neceſſitatibus præteritis, pro præſentibus particularis Fratris, vel ſunt pro iminentibus, aut futuris. Si talis neceſſitas ſit pro præterito, & præſenti, de licentia Superioris poteſt ab Amico ſpirituali, vel ejus ſubſtituto, vel ejus nomine a Syndico impendi. Hoc primum fundatur in Regula Cap. 4. ubi dicitur: *Tamen pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis per Amicos ſpirituales &c. ſolicitam curam gerant &c.* Secundo ampliſſime declaratur ab omnibus Bullis, & ab omnibus Statutis, & ab ipſo Pithanophilo aſſeritur, unde de hoc nulla quæſtio, dummodo adſit neceſſitas vera, & non ficta, & fiat de Superioris licentia.

Quod ſi conſignetur pecunia pro neceſſitatibus de futuro; Aut ſunt neceſſitates imminentes, aut quæ tractum temporis requirunt. Si ſunt imminentes, admitti poteſt oblatio juxta regulam juris quod proxime accingendus habetur pro accincto. Ratio autem apparet; nam prudentialiter operando & ligna ad comburendum, & Vina ad bibendum, & linea, vel lanea non ſunt providenda, quando integraliter ceſſant, vel conſumpta ſunt, ſed cum quadam provida diſpoſitione, quæ & neceſſitatem imminentem demonſtret, & abundantiæ ſpeciem non præſeferat. Etiam in hoc cum Pithanophilo concordamus, & conſonum eſt cum Pontificum, & Statutorum Conſtitutionibus.

At ſi fiat oblatio pro tempore futuro tractum temporis requirente, Bullæ videntur inter ſe contrariæ, non quia contrarietatem habeant, nam in Legibus admitti non poteſt, & ſi forte aliqua appareat, concilianda eſt. Cap. Cum expediat de elect. in 6. Tamen Auctor Libri eam invenit, & multa notat, & ventilat, quæ ſuæ opinionis fundamentum conſtituunt.

Inter Bullas ſibi, ut putat, faventes enumerat Innocentium IV. Ordinem veſtrum 1245. quæ utitur verbis *neceſſitatis*, *commodi*, & *diſpenſationem pecuniæ dicit fieri poſſe loco*, & *tempore*, *ſicut Fratres expedire viderint*. Idem dicunt Conſtitutiones S. Joan. a Capiſtr. 1443. ſub Eugenio IV. repetendo verba Innocent. IV. Cardinalis Matthæus in ſua Conſtit. 1280. Venerabilibus ſub Nicolao tertio utitur verbis *liciti*, & *honeſti*. Martinus IV. Exultantes 1283. utitur verbis *neceſſitatis*, *ingruentis*, *utilitatis*. Nicolaus III. Exit qui ſeminat 1279. utitur verbis *neceſſitatum*, *quæ pro tempore occurrerint*, *quæ brevi tempore expediri valeant*, *quarum proviſio ex ſui conditione tractum temporis habet*, *ingruentis neceſſitatis*. Clemens V. Exivi 1310. utitur verbis *neceſſitatis*, *pro tempore occurrentis*, *ingruentis*. Conſtitutiones S. Joan. a Capiſtrano ſub Martino V. 1428. utuntur verbis *neceſſitatum pro tempore occurrentium*. Eugenius IV. 1432. Proviſionis noſtræ utitur verbis *neceſſitatis*, quod pecunia expendatur *ſuis temporibus*, *utilitatis*. Paulus IV. Ex Clementin. 1555. utitur verbis *utilitatis*, *neceſſitatis pro tempore*. Hæc ſunt omnia legum verba a Pithanophilo adducta ad adſtruendam ſuam propoſitionem, quod Fratres privati poſſint tenere pecuniam in manu Syndici pro ſuis neceſſitatibus etiam tempus longiſſimum obvolventibus uſque ad mortem, & quaſi dixit etiam poſt, docendo quomodo fieri debeat expropriatio Fratri morituro, & quomodo retinere poſſit beneficium, ſi reconvaleſcat.

Contrarii tenoris ſunt Bullæ Nicolai III. Exiit qui ſeminat 1279. §. *Inſuper nec utenſilia*, *nec alia &c. ad ullam ſuperfluitatem*, *divitias*, *ſeu copiam*, *quæ deroget paupertati*, *vel ad theſaurizationem &c. recipiant*, *nec ſub colore providentiæ in futurum*, *nec alia occaſione*. Et Clementis V. Exivi 1310. §. *Proinde prohibet nimiam meſſium*, & *vini collectionem*, *quæ in cellariis*, & *granariis reconduntur*, quia S. Franciſcus voluit Fratres ſuos *divinæ providentiæ ſe committentes*

quæ

qua volucres Cœli paſcit , qua non congregant in horrea. Et alii ſimiles Textus, qui omittuntur.

Vere tamen nec contrarii ſunt inter ſe, nec in diverſitate ſermonis habenas alius alio magis laxant. Pithanophilus logico more terminos definiens, ſi nominatur tempus, omne tempus futurum comprehendit, ſi commodum, omnia commoda, ſi utilitatem, omnes utilitates. Quare igitur ſi paupertas, non omnis paupertas, ſi prohibitio collectionis, vel congregationis mobilium, & pecuniæ, non omnis collectio, & congregatio, ſi Fratrum communitas, non omnis Fratrum communitas? Non habemus de terminis diſputationem, ubi lex, ubi ratio, ubi finis legis decidit. Termini, ut dixi, inſerviunt legi, non lex terminis. Sunt longe diverſi caſus, in quibus termini obſervantur. Si diceret lex: Poſſint homines pro tempore de rebus ſuis diſponere, vel Liceat utilia ſerere, vel ſibi commoda parare; non per hoc tamen poſſent diſponere ante ætatem a lege præſcriptam, non tabacum ſerere, non ſibi commoda parare ex mercibus prohibitis, nec juvat dicere: Tempus, utilia, commoda ſunt termini univerſales nil excludentes, quia termini ſi ampliantur a Logicis, reſtringuntur a Legibus. Dicet forſan favorabilia eſſe amplianda. Sed neque hoc juvat; nam favorabilia ſunt amplianda, quando ampliatio non eſt contra legem, at ſi a lege prohibeatur, quomodo poterit ampliari?

Stando igitur legibus duplici modo ſumi poteſt futurum, ut imminens, urgens, & breve, & ut tempus extenſum, & longum. Primum a Bullis admittitur in Fratrum neceſſitatibus; Secundum prohibetur. Gregorius IX. Quo elongati 1230. neceſſitates deſcribendo utitur ſolis verbis *neceſſarii*, *imminentis*, quod eſt breviſſimum tempus, & quaſi præſens. Nicolaus III. Cap. Exit de verb. ſignif. in 6. quæ Bulla, ut etiam alia Clem. V. quæ infra recenſebitur, ſunt ſuper omnes alias notandæ, cum ſint tamquam Canones a tota Eccleſia admiſſæ, & confirmatæ; im-

mo

mo ab omnibus fere Religionis Statutis approbatæ, ut infra oſtendam. Dicta Bulla in §. Inſuper prohibet omnem *ſuperfluitatem, divitias, ſeu copiam, quæ deroget paupertati, vel ad theſaurizationem, neque ſub colore providentiæ in futurum, nec alia occaſione*. Et quaſi non ſatis ſe explicaſſet, neceſſitates iſtas de futuro declarans in §. Et quia, hæc ſubdit: *Sic in iſtis neceſſitatibus clare diſtinguimus, ac in eis Fratres poſſe tute, & ſalva conſcientia procedere declaramus, videlicet, ut ingruenti, vel imminenti neceſſitate, quæ brevi tempore, vel quæ interdum ex aliquibus circumſtantiis non ſic brevi (ut ſupra dictum eſt) valeant expediri*. Dicit autem hoc ſecundum, nempe *non ſic brevi* tempore, nam ſupra caſus propoſuerat de Eccleſiæ ædificatione, de Librorum conſcriptione, ædificiorum reparatione &c. quæ majus tempus ex ſuis circumſtantiis requirunt. Tria nota in hoc Canone, ſeu Capitulo.

Primo. Quod Pontifex illud emittit ſuper multis Fratrum dubiis ſpecialiter requiſitus, quæ dubia ſingillatim decidit, definiendo quæ licita ſint ex Regula profeſſa, & quæ illicita, & declarat collectionem, theſaurizationem, & copiam rerum non licere. Immo non contentus de eo quod dixerat in §. Et quia, hæc addit. *Non enim veriſſimile eſt, aliquem Eleemoſynæ ſuæ &c. modum illum præfigere, per quem, & donans merito, vel illi, quorum neceſſitatibus intendit per donum hujuſmodi provideri, vel effectu doni, vel ſuæ conſcientiæ puritate fraudentur*: ita ut non ſolum ſolvat dubium, ſed declaret peccare & Fratres, & etiam donantes, ſi donatio ſit collectio pro futuro.

Secundo. Nota diſtinctionem claram inter futurum proximum, ſeu breve aut imminens, inter tempus non tam breve, & inter tempus longum. Quando vult Canon denotare tempus breve dicit *pro neceſſitatibus imminentibus*, vel *ingruentibus*, quæ *brevi tempore*, & in hoc declarat licitum eſſe recurſum. Quando

do vult deſcribere tempus non breve ſeu imminens, ſed neque longum, dicit: *non ſic brevi tempore*; & in iſto dicit licere recurſum ſolum in aliquibus circumſtantiis, ſcilicet quæ neceſſitatem habent inſeparabilem a tempore non tam brevi; & ne fiant ſiniſtræ, & laxæ interpretationes, exempla ponit in ædificationibus, conſcriptione librorum &c. Idcirco his conditionibus non exiſtentibus non licet, nam ut ait in eadem Bulla, & repetit Clem. V. Exivi de paradiſo 1310. *Ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expreſſe non conceditur, intelligitur denegatum*. Et loquitur de uſu pecuniæ ad interpretationes tollendas. Quando vero tempus longum deſcribit, expreſſe prohibet *collectionem*, *copiam*, *theſaurizationem*, *neque ſub colore providentiæ in futurum*, *neque alia occaſione*. Et hac conditione donantes, & recipientes peccare declarat, ſeu ſuæ conſcientiæ puritatem fraudare. Diſtinctio clarior neque dari, neque concipi poteſt.

Tertio. Nota, hanc Bullam inter Canones Decretalium poſitam fuiſſe, ut vim legis Canonicæ obtineret, & ut talis a toto orbe recognoſcitur, quod ſupra innuimus.

Quarto. Nota etiam hunc Pontificem in §. Ceterum, adhibere particulam *pro tempore*, ſuper qua ſuæ rationis ſummam adſtruit Pithanophilus, dicendo, quod dictio *pro tempore* ſignificat omne tempus; ait enim Pontifex: *pro eorum neceſſitatibus, quæ pro tempore occurrerint*. Et tamen expreſſe prohibet proviſiones pro tempore longo, immo etiam pro tempore non tam brevi, niſi ſint Fratres in talibus circumſtantiis, ſeu conditionibus. Unde dictio *pro tempore* non eſt ſumenda generali modo, ſed in dato caſu, & vult dicere in neceſſitatibus tempore Fratrum regulæ permiſſo vel imminenti, & urgenti, vel non tam brevi poſitis tamen talibus conditionibus. Alioquin ſi dictio *pro tempore* ſe extenderet ad quodlibet

futu-

futurum; quomodo futurum, & non tam breve tempus prohiberet?

Conſona huic eſt Bulla Clem. V. Exivi 1310. §. *Porro*, ubi dicit *poſſe fratres recurrere ad Amicos ſpirituales*: *Pro infirmis, & Fratribus induendis &c. conſiderata neceſſitate vitæ ad alias neceſſitates Fratrum pro tempore occurrentes, ceſſantibus Eleemoſynis, ſeu etiam ingruentes ſupradictus Prædeceſſor noſter* (nempe Nicolaus III.) *duxerit extendendum*. Etiam hic Pontifex concedit recurſum pro neceſſitate *ingruente*, ſeu imminente, & neceſſitatibus *pro tempore*, ſed vide quanto ſtrictius. Quaſi dubitet nimium fuiſſe a Prædeceſſore conceſſum, ſic ait: *Attendant Fratres præfati, quod pro nullis cauſis aliis, quam prædictis veriſimilibus in via, vel alibi recurrere licet eis ad Amicos hujuſmodi &c. etiamſi conceſſi per eamdem declarationem* (nempe Nicolai III.) *modi circa pecuniam integre ſervarentur*. Quibus verbis apertiſſime excludit omnes caſus, & modos recurſus, niſi præſcriptos a Nicolao, & tamen in dicta Bulla invenitur dictio *pro tempore*. Se circumſpiciant Adverſarii in Bullis, & jactent ly *pro tempore*. Neque Legislator de tanta declaratione contentus fuit. In ſupracitato §. Proinde, ad normam Nicolai prohibet omnes collectiones hoc modo: *Item quod temporibus meſſium vel vindemiarum ſic copioſe granum, & vinum mendicando, vel aliunde emendo colliguntur a Fratribus, & in Cellariis, & Granariis reconduntur, quod per anni reſiduum, & abſque eorum mendicatione poſſunt tranſigere vitam ſuam*. In §. Licet, exinde ſubſequitur: *Cum prædictus Sanctus* (nempe Franciſcus) *tum in exemplis vitæ, quam verbis regulæ oſtenderit ſe velle, quod Fratres ſui divinæ providentiæ innitentes, ſuos in Deum jacerent cogitatus, qui volucres Cœli paſcit, quæ non congregant in horrea &c. Non eſt veriſimile voluiſſe ipſum eos habere Granaria, vel Cellaria, ubi quotidianis mendicationibus deberent ſperare poſſe tranſigere vitam ſuam. Et*

idcir-

Idcirco non ex timore levi relaxare ſe debent ad congregationes, & conſervationes hujuſmodi faciendas. Ecce quid decidat etiam hic Pontifex de tempore longo; & nota

1. Longum tempus conſiderari a Bulla prædicta curſus unius anni, quando anni viciſſitudines tantæ eſſe poſſunt, quando Fratrum neceſſitates quotidie ſunt certiſſimæ, & non èventuales, quando tot ſunt in numero, & adeo graves, ut nulla ſit comparatio cum neceſſitatibus unius Fratris ſingularis.

2. Conſidera decidi a Pontifice Fratres de neceſſitatibus futuris non debere eſſe anxios, nec ob eas congregare, ſed per eorum inſtitutum divinæ providentiæ inniti debere, & mendicatim vivere, declarando talem fuiſſe morem S. Franciſci, & talem ipſorum regulam.

3. Nota, etiam hanc Bullam innexam eſſe legibus Canonicis, & inter Canones poſitam, qui vocantur Clementinæ in 6. Decretalium, unde habere ſpecialem vim legis, ab univerſa Eccleſia ſic recognitas, & veneratas.

4. Specialiter nota, hanc Bullam emanaſſe a Clem. V. ſuper Religionis inſtantia, ut ſibi declararet, quænam præcepta in Regula obligent ad mortale, & multa dubia tolleret, quæ, poſita ipſa regula, conſcientias Fratrum urgebant, in quorum reſolutione ſummus Pontifex eam ſancivit. Vide idcirco, cujus ponderis ſit, & cujus efficaciæ.

5. Nota, etiam hanc Bullam uti verbis *pro tempore*, & tamen ſe reſtringit ad neceſſitates imminentes, & urgentes, & aperte excludit tempus longum futurum.

6. Nota, declarare S. Pontificem eſſe grave peccatum pro aliis neceſſitatibus ad pecuniam recurrere, quam quæ conceduntur a Nicolao III. dicendo: *Attendant Fratres præfati, quod pro nullis cauſis aliis, quam prædictis &c. recurrere licet eis ad Amicos hujuſmodi &c. etiamſi modi conceſſi circa pecuniam integre ſervarentur.*

Euge-

Eugenius IV. Proviſionis noſtræ 1532. §. circa, ait: *Circa quartum Capitulum dico, & ordino, quod Fratres omnino abſtineant a receptione, tactu, & congregatione pecuniarum*. In qua nota non ſolum declarationem, ſed præceptum in illis verbis, *dico, & ordino*, quo præcepto prohibet pecuniarum congregationem.

Ceteræ Bullæ vel non loquuntur de congregationibus, theſaurizationibus, vel accumulationibus, vel eas prohibent, nam earum dicta recenſere longum eſſet. Fere omnes tamen antedicta confirmant. Modo recenſeamus, quid dicant Religionis Statuta.

Capitulum generale Veronæ congregatum 1348. Cap. 3. hæc habet: *Inhibemus etiam per obedientiam, quod nullus Frater per ſe, vel per alium inducat aliquam perſonam ad faciendum, ſeu ordinandum aliquam Eleemoſynam perpetuam, vel ad vitam ſibi, vel alteri Fratri, vel etiam Ordini exhibendum*. En quid de tempore longo definit; de tempore autem brevi in eodem Capitulo ſic dicitur: *Nullus Frater quacumque ex cauſa pecuniam apud aliquem deponi ſuſtineat, vel conſervari &c. & nulli concedatur licentia niſi pro neceſſitate præſenti, vel de proximo imminenti*. Clariuſne poſſunt tempora diſtingui?

Statuta Capituli generalis 1618. Cap. de pecunia ſic definiunt: *Statuitur, ut Religioſi nullo modo ad pecuniam recurrant niſi exiſtente vera, præſenti, vel imminenti neceſſitate, determinata quidem ſicuti ex Regula ipſa, & declarationibus Sum. Pontificum conſtat*, (& poſtea) *Pecunia autem ſic licite procurata pro vera, determinata, præſenti, vel imminenti neceſſitate &c. in eiſdem neceſſitatibus dumtaxat expendatur*. Qua deciſione totaliter excluditur tempus futurum ſaltem longum.

Statuta Sambucana Cap. 4. hæc habent: *Nullus ad pecuniam recurrat, niſi exiſtente vera, præſenti, aut imminenti neceſſitate propria &c. Qui aliter pecuniam habue-*

habuerint, *vel expend.rint*, *in pœnas proprietariorum incidant*. Et illis verbis futurum excludent.

Sed eſt terere tempus Religionis leges perquirere. Nulla prorſus & nulla invenietur, quæ concedat non dicam ſingulis Fratribus, ſed neque Ordini, aut Conventui conſervationem, aggregationem theſaurizationem, aut proviſionem in longum tempus, niſi conditionibus ſupra expoſitis in aliquibus caſibus a Bullis expreſſis.

Modo in Statera apponantur rationes, ut comparatione facta contrariarum opinionum veritas eluceat. Quænam ſunt in Bullis Pithanophili rationes? Maximæ enim eſſe debent, cum, ſuper iis prævium decantans triumphum, Auctorum & Statutorum deciſiones excludat. Tres, & viginti Pontificum Bullas ipſe adducit ad probandam ſuam propoſitionem. Pro toto autem nervo ſuæ probationis ex iis eruit eas permittere, Fratres in ſuis neceſſitatibus *pro tempore*, vel ſuis *loco*, *&* *tempore*, vel *ſuis temporibus* ad pecuniam in manu Syndici recurrere. Sed hæ Bullæ ſunt ne omnes conformes? Minime. Ad ſummum quinque, vel ſex potuit invenire eis verbis utentes. Ceteræ ſaltem non repugnabunt, aut vim dabunt ejus opinioni? Multo minus. Aliæ ad pecuniam concedunt recurrere ſolum in caſibus neceſſitatis imminentis, aut ingruentis, ut Bulla Gregorii IX. Cardinalis Matthæi 1280. Martini V. &c. Aliæ recurſum non admittunt, niſi ut ſufficienter alantur Fratres, & pro ſuis neceſſitatibus, ut Clemens VII. 1530. Innocentius XI. 1679. Paulus V. 1605. Gregorius XV. 1621. Urbanus VIII. 1625. Innocentius XII. 1697. & aliæ. Aliæ expreſſis verbis Pithanophili opinionem evertunt, ut Bulla Eugenii IV. 1432. Nicolai III. 1279. & Clementis V. 1310. quæ adhibent verba *pro tempore* in Fratrum neceſſitatibus, & tamen non ſolum congregationem prohibent etiam *ſub colore providentiæ in futurum*, hoc eſt tempus longum, ſed etiam tempus non tam breve, ut ſupra notavimus, immo longum tempus conſiderant

rant curſus unius anni. Saltem aliquid dicent tot Bullæ ad favorem Fratrum ſingulorum, ſi non dicunt ad favorem Conventus. Sed ne verbum quidem. Immo, ut tollatur omnis interpretatio circa has neceſſitates, & circa hoc tempus, & ne Fratres fimbrias laxent, clariſſime dicunt, potiſſime Clemens in ſua Bulla Exit antedicta: *Ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expreſſe non conceditur, intelligitur denegatum*. Quomodo autem ſomniare poterant Pontifices exurgere poſſe Auctorem, qui talia, & tanta ſuſtineat pro Fratribus ſingulis, & circa tempus, & circa neceſſitates, & circa particulare depoſitum, dum prohibentur Conventibus in communi? Videtur hanc inſurgentiam prævidiſſe generale Capitulum 1348. Cap. 3. antedeſcripto, idcirco ad eam evertendam ſic ait: *Inhibemus per obedientiam, quod nullus Frater per ſe, vel per alium inducat aliquam Perſonam ad faciendum aliquam Eleemoſynam perpetuam, vel ad vitam ſibi, vel alteri Fratri, vel etiam Ordini exhibendam &c.* Exinde ſequitur: *Nullus Frater quacumque ex cauſa pecuniam apud aliquem deponi ſuſtineat, vel conſervari &c. & nulli concedatur licentia, niſi pro neceſſitate præſenti, vel de proximo imminenti*. Ex his verbis autem non eſt deſumendum, quod ſi licentia daretur a Superiore, poſſet pecunia detineri pro futuro, ſed tantum licentiam concedere prohibet, quod objectum expreſſe confutabimus in Cap. 21. Videat Lector, quam bene ſe habeat Adverſarius in Bullis, & Statutis; & an vere dixerim ab initio de tali Auctore, quando eum judicavi, non eſſe hujus Religionis, tamquam in Bullis male verſatum, parum in Statutis, nihilque in SS. Doctorum opinione, ac ceterorum Sanctorum venerabili praxi.

Caput iſtud de oblatis a ſpiritualibus Amicis pene, ut dixi, inutile erat pertractare. Pauci enim, vel nulli ſunt Fratres, qui tales Amicos inveniant, & multum eſſet Amicos invenire pro neceſſitatibus imminentibus. Tamen neceſſe fuit hanc rem exagitare,

re,

re, quia caſus evenire poteſt, & quia ad reliqua non parum luminis affert. Modo ad objecta deveniamus.

CAPUT XV.

Primum Adverſarii objectum.

Objicit Pithanophilus ſupraſcriptis legibus: Pecuniam in manu Syndici ſuo modo depoſitam nullo modo repugnare Concilio, & Bullis. Quando enim Syndico conſignatur de Superioris aſſenſu, & incorporata cenſetur cum ceteris pecuniis, & cum eis confuſa. Nam intentio tam Fratris deponentis, quam Prælati concedentis eſt, ut ea pecunia ſit Eccleſiæ, & revera in ejus ærario reponitur. Urget etiam argumentum: Per leges, Superioris eſt Fratrum neceſſitates dignoſcere, & eis providere. Si igitur vult pecuniam reſervatam teneri pro neceſſitatibus alicujus, contra legem non operatur, immo quod ſuum eſt, exercet, & diſponit.

Antequam objectum reſolvam, prius diſſerendum eſt quodnam ſit jus Superioris in Eccleſiæ peculium a Syndico detentum. Ut diximus, & ample probavimus, nullum jus habent Superiores neque in rem aliquam, neque in ipſum peculium, & præter legum auctoritates hoc plane conceditur ab Adverſario. Tamen aliquam facultatem habere dignoſcuntur, cum jubeantur Syndici pecuniam in neceſſitates impendere ad eorum nutum. Hoc jus cum eſſe nequeat neque in proprietate, neque in fructu, neque in uſu, facile Bullas, & Statuta examinando colligitur in duobus tantummodo conſiſtere. Unum eſt, Fratrum neceſſitates dignoſcere, & judicare. Alterum precario nomine, & Eleemoſynæ titulo Syndicum deprecari, ut talibus neceſſitatibus provideat, neque aliud imaginabile jus habet, aut poteſt habere. Hoc probat Bulla Martini IV. Exultantes 1283. in qua præſcribit

Syndicorum inſtitutionem, quomodo pecunias recipere debeant, & quomodo in Fratrum utilitates convertendæ ſint, & dicit: *Sicut, & quando a te, fili Generalis &c. vel ab eiſdem Fratribus de aſſenſu veſtro extiterint requiſiti*. Officium igitur ſive jus Superioris & ſolum requirere, petere. Sic Bulla Clementis V. Exivi 1310. §. Porro in fine ait: *Denique &c. curare Fratres diligenter neceſſe eſt, quod cum ex cauſis prædictis, & modis ad habentes pecuniam recurrere &c. ſic ſe gerant, quod &c. oſtendant &c. penitus nihil ſcilicet juris habere*. Excepto jure ſupplicandi, quod concedit, quando concedit recurſum, ſed nullum aliud jus *penitus*, quo termino nil efficacius inveniri poteſt. Similiter Nicolaus III. Exiit 1279. §. Ad majorem, ait: *Cum manifeſte pateat &c. ipſos Fratres non ſolum a receptione, proprietate, dominio, ſive uſu pecuniæ, verum etiam a contrectatione qualibet ipſius, & ab ea pecunia penitus alienos* (ſequitur exinde in §. quia vero) *Cum vero &c. ad determinatam neceſſitatem &c. per aliquem pecuniam concedi contigerit, concedens pecuniam rogari poſſit a Fratribus, ut &c. habita neceſſitate &c.* Vides Bullarum conformitatem, ut alias prætermittam, in aſſerendo, nullum jus eſſe in Superioribus niſi exponendi neceſſitates, & deprecandi, ut ſuis indigentiis ſuppeditetur.

Idem decernunt Statuta. Sambucana ab Adverſario inter ſuas probationes adducta Cap. 4. §. 2. num. 4. hæc habent: *Caveant tamen Superiores, ne tamquam Domini pecunias expendi præcipiant, ſed ut pauperes Eleemoſynam petentes Syndicos rogent, ut expoſitis neceſſitatibus ſuccurrere velint*. Ni fallor, hoc Statutum clarum eſt.

Capitulum generale 66. 1618. Cap. De Syndico idem ait: *Cavendum tamen Fratribus univerſis, ne tamquam Domini proprietarii pecunias expendendas præcipiant, ſed ut pauperes Eleemoſynam petentes, eiſdem Syndicis ſuas exponant neceſſitates, obſecrantes, & exorantes, ut occurrenti neceſſitati ſuccurrere velint*.

Ca-

Capitulum generale 62. 1593. Cap. de modo, quo Fratres cum Procuratore ſe habere debeant. Primum dicit Syndicos pecuniam debere impendere in neceſſitates, deinde ait: *quas eorum Superiores ſignificaverint eiſdem, non tamquam Domini ſervis ſuis, ſed tamquam pauperes Chriſti benefactoribus, quos ſemper rogare debent*. Hiſce tam claris Pontificum, & Statutorum legibus conſona eſt ratio. Nam ſi nullum jus excogitabile habere poſſunt, quid reſtat eis, niſi neceſſitates exponere, & Dominum, qui nomine Eccleſiæ eſt Syndicus, pro ſuccurſu ſupplicare?

Cum manifeſtum ſit, & infallibile, nullum eſſe jus in Prælatis, & inferioribus niſi ſuas exponendi neceſſitates, & earum levamen implorare, certe neque jus habebunt imperandi, ut talis Fratris peculium ſeparatum a communi detineatur, & hoc duabus rationibus æque certis, & in lege fundatis. Altera eſt, quia ſi hoc poſſent præcipere, eſſet jus in pecuniam. Quomodo enim ego regii ærarii cuſtodibus jubere poſſum, ut pecuniam a me Regi debitam, eique ſolutam cum Regis pecunia non detineat? Reſponderet certe. Temerarie, quodnam jus habes, qui in pecunia Regis vis præſcribere? Syndicus eſt Regii peculii Cuſtos. Rex ſive Dominus pecuniæ eſt Eccleſia. Quo jure igitur jubere poterit Superior, ne cum Regis pecunia detineatur? Jus non eſt tantum in utendo, ſed etiam in præſcribendo, in conditionibus apponendis, in modis decernendis, & in pecuniam nullum jus habent Fratres non ſolum utendi, ſed neque facti, ut demonſtravimus. Altera ratio eſt, quia circa detentionem, ſive pecuniæ conſervationem Dominus, qui eſt Eccleſia, in ſolemni Concilio præcipit, ut *incorporetur* cum aliis ſuis pecuniis, ut *confundatur*, & fiat una Maſſa.

Dicent: Si Superior jubere non poteſt, poterit ſaltem deprecari, ut talis pecunia ſeparata detineatur. Æque falſa ac prima eſt hæc ratio ſubſumpta. Non licet enim Syndico, qui eſt Eccleſiæ Procurator, Man-

dam fines excedere, & maxime in Mandato Concilii *firmiter præcipientis*, & contra finem præcepti, qui finis *eſt Communitas*. Hic finis rem graviſſimam annexam habet, cum Religio Minorum tamquam Domini noſtri Jeſu Chriſti, Apoſtolorumque ejus imitatrix hanc communionem obſervare a Regulis jubeatur, & ab Eccleſia, ejuſque Pontificibus continuis temporibus adſtringatur, unde tamquam res graviſſima habita eſt ab Eccleſia, a Religionum Inſtitutoribus, & a S. Doctoribus omnibus. Neque Superiores deprecando, a gravi culpa eximi poſſunt. Tentant enim, & Syndicum inducunt ad contrafaciendum præcepto Eccleſiæ in Concilio congregatæ, volentis, & firmiſſime præcipientis una cum Clemente VIII. quod omnes pecuniæ incorporentur, & confundantur, ad hoc ut ſervetur perfecta communitas. Præceptum ſummopere neceſſarium, quia ſcandala, abuſus, effectuſque peſſimi, quæ in Religionem irrepſerant, quæque temporibus noſtris experimur heu nimium, ob ejus præcepti inobſervantiam irrepunt; &, quod maxime notandum eſt, id præceptum, quod alterari nequeat ſine tertii præjudicio; nam pecunia, quæ omnium neceſſitatibus ſuppetere debet, uni conceditur, ceterique fraudantur.

His prænotatis, ad objecti ſolutionem devenio. Dicit Adverſarius, depoſitum privatum de licentia Superioris in manu Syndici non eſſe contra Concilium, & Bullas, nam pecunia cenſenda eſt incorporata, & confuſa, quando Superiori reſignata eſt, & in Eccleſiæ Ærario deponitur. Sed hæc eſt vera legis illuſio, vult enim facto legem infringere, & mente obſervare. Ordinario Peccatores ignorantes hoc facere experiuntur. Deum facto offendunt, ſed dicunt, illam actionem perpetrare, non tamen Dei offenſam intelligere.

Ut hoc pateat, conſiderandum eſt in Fratribus Minoribus ſuper hac materia tria eſſe præcepta. Unum pendens a Regula, nempe quod neque pecuniam,

neque

neque ullam rem poſſidere poſſint Aeque proprio nomine, neque nomine Conventus. Secundum pendens a præcepto, quod quælibet pecunia in manum Syndici pervenire debeat tamquam bona ſolius Eccleſiæ, cujus eſt Procurator. Tertium eſt, quod pecunia, ut ajunt Concilium, & Clemens VIII. *Conventui incorporetur, & cum ceteris pecuniis confundatur*, quod ſimiliter Eccleſiaſticum præceptum eſt. Ad modum Adverſarii Syndico pecuniam tradendo, ut ſeparatam detineat, etiam ſuppoſito, quod duobus primis præceptis ſatisfieret, ſed non tertio. Ut enim tertio ſatisfiat, debet tradi, & cum aliis incorporari, & non ea lege ut ſeparetur; Incorporare enim eſt unum corpus, unamque maſſam conficere; Et Auctor Libri, qui optimus eſt Logicus quando de terminis agitur, hanc definitionem ignorare non deberet. Sed ne dubitetur ſuper hoc, ipſe Pontifex voluit id clare explicare, dicendo *& cum ceteris pecuniis confundatur*, ita ut per Pontificem incorporatio ſit pecuniarum commixtio, & confuſio talis, ut ſit unum Corpus, unaque maſſa. Traditio igitur pecuniæ Syndico eſt ſola ſecundi præcepti ſatisfactio, hoc eſt dare ſua ſuis. Eſt ſolutio debiti Eccleſiæ facta, quæ ſola eſt Domina, & hoc præceptum exequi tenentur, non Syndicus, ſed qui pecuniam tenent, & debent. E contra tertium præceptum exequi debet præcipue Syndicus; ad eum enim ſpectat incorporare, & cum aliis pecuniis confundere. Idcirco nullo modo dici poteſt, quod traditio pecuniæ Syndico facta ſit incorporatio, cum traditio ad unum ſpectet, & incorporatio ad alterum, & unum præceptum debitorem infligat, alterum præcipue depoſitarium. Tradendo igitur pecuniam ea lege, ut ſeparata detineatur, tertii præcepti executio impeditur, & non adimpletur. Præterea ſui peculii diſpoſitio Eccleſiæ tollitur. Vult enim tali peculio omnibus Fratribus in communi providere, & fraudatur præceptum ejus, uni tantum providendo, ceteris omiſſis, arbi-

trando, & diſponendo de pecunia non propria, mentem Eccleſiæ fraudando, & aliorum Fratrum proviſiones furando. Neque Superioris licentia a peccato excuſat, nam eadem lex ſubditos devincit, & Superiores dicendo: *Etiamſi Superior ſit*, unde ſi ipſe hoc facere prohibetur, ne aliis quidem id faciendi licentiam poterit impertire.

Secundo reſpondeo, duo conſiderari in lege. Unum eſt finis, propter quem ſancitur lex. Alterum ſunt media quæ præſcribuntur ad hoc, ut finis habeatur. Verbi gratia. Præcipit lex ne occidantur homines; Ne autem occidantur, armorum prohibet geſtationem. Occiſio eſt finis legis; armorum prohibitiones ſunt media. At ſi arma non deferantur, & homo ſine armis occidatur, non per hoc eximitur occidens a delicto, & a pena. Similiter finis in Concilii, & Bullarum præcepto eſt, ut ſervetur perfecta Communitas maxime in Minorum Religione, cujus profeſſio, & regula eſt altiſſimæ paupertatis obſervatio, & rerum omnium *ſub Cælo* exiſtentium abdicatio. Media, quæ præſcribuntur ad optimam hujus finis conſecutionem, ſunt, ut omnis pecunia nomine S. Sedis detineatur pro Fratrum neceſſitatibus. Obſervatio mediorum quamtumlibet plena, perfectaque eſſet, non eſt legis adimpletio. Lex eſt Communitatis integra obſervatio, qui eſt finis, & primario ab Eccleſia intentus, & volitus. Media ſunt quidem in præcepto, ſed ſecundario volita, & tamquam ad finem conſequendum neceſſaria; unde mediorum obſervatio etiamſi perfectiſſima ſit, non eſt legis obſervatio, & quando contra finem aut legis rationem operamur, primariam legis intentionem offendimus, & magis peccare videmur, quia majorem malitiam in illuſionem finis oſtendimus, ut fit in depoſito peculiari.

Tertio. Sed dicto modo pecuniam in manu Syndici habendo nec intentione, nec facto, aut ullo alio modo Eccleſiæ obeditur. Præceptum enim Eccleſiæ

eſt,

eſt, ut ad pecuniam recurri poſſit pro ſolis neceſſitatibus præteritis, præſentibus, aut urgentibus, & imminentibus. Et præceptum eſt, Minores nullo modo theſaurizationem, collectionem, aut congregationem poſſe tenere, ut amptiſſime demonſtravimus in Cap. 14. Neque Minor igitur, neque Superior, neque Syndicus hæc depoſita poſſunt admittere, quæ futurum tempus reſpiciunt, ſed divinæ providentiæ ſe debent Fratres committere, ut ait Clementina Exivi de verb. ſignif. in 6. §. Proinde, illis verbis: *Cum prædictus Sanctus* (nempe Franciſcus) *tam in exemplis vitæ, quam verbis Regulæ oſtenderit ſe velle, quod Fratres ſui divinæ providentiæ innitentes ſuos in Deum jacerent cogitatus*. Et ſequitur ob eam cauſam congregationes prohibendo. Apud Adverſarium pro nihilo habenda ſunt neque aperta in facto legis abuſio, quando mente obſervari effingitur; Neque perfectæ Communitatis obſervatio tam forti præcepto imperata; Neque pro futuris clariſſime indicta prohibitio; Neque theſaurizationes, & congregationes contra praxim Sancti Inſtitutoris, & Regulam Religionis a Summo Pontifice dictis verbis conteſtas. Omnia ſint Fratribus licita, dummodo pecunia quadam ſubtilitate cohoneſtata detineatur. Licitum erit etiam ſummo Judici Deo diſtrictum habere judicium de Phariſaicis iſtis operationibus, emendicato ſubterfugio, legem, & regulam infringentibus.

CA-

CAPUT XVI.

Secunda Objectio.

SEcundum Pithanophilum harum legum obſervatio eſt impoſſibilis. Sunt enim multi Conventus, in quibus hæc vita communis in aliquibus rebus non obſervatur, & multa neceſſaria Fratribus denegantur, vel ob Conventuum paupertatem, vel Fratribus non concordantibus, vel alia de cauſa. In his Fratres neceſſario coguntur pro indigentiis ſuis ad pecuniam recurrere. Hæc propoſitio licet laxa viſa eſt illi inſufficiens ad aſtruendam fere plenam libertatem; idcirco in Concluſione tertia ſequentem appoſuit Concluſionem: Sive ubi extat, ſive ubi non extat vita communis ad formam Tridentini, vel Regulæ, poteſt Frater Minor ex vi Regulæ pecuniam apud Syndicum ſeparatam peculiari nomine habere, ac tenere, ad eamque de Superioris licentia recurrere pro neceſſitatibus. Exinde in Concluſione quarta dicit poſſe Minorem idem facere ex vi voti paupertatis. Et in Concluſione quinta poſſe idem facere etiam ex vi præcepti Eccleſiaſtici, ubi non eſt vita communis. Probat etiam ſuam propoſitionem dicendo, ad peccatum evitandum ſufficere quatuor concurrere conditiones. Prima, ut non recurratur ad pecuniam per ſe, vel per interpoſitam Perſonam, ſed per Amicos ſpirituales, aut per Syndicum. Secunda, ut nullum jus vel interius, vel exterius habeatur, & oſtendatur circa pecuniam. Tertia, ut recurratur pro neceſſitatibus veris, aut utilitatibus, & commoditatibus. Quarta, ut recurratur de Superioris aſſenſu. His quatuor exiſtentibus, Frater eſt Militiæ Dux, nec ad alia adſtringitur; numquam enim Regula, aut Pontifices, aut Statuta mentionem, aut rationem habuerunt de vita communi. Ex vi voti ſubdit: Sufficit rerum dominium non habere, & impendere in neceſſaria, ſed non

non requiritur vitæ communitas. Ex vi præcepti Eccleſiaſtici tandem, quia eſt præceptum ſimul & collectivum Fratrum, & diſtributivum, quod nempe omnes afficit, & non concurrentibus omnibus, ærarium unius fieret commune, aliis propria retinentibus. Et ſicuti alii Regulares poſſunt tenere pecuniam non exiſtente Communitate, ſic & Minor in manu Syndici.

Sicuti in hac objectione Adverſarius totum ſuæ propoſitionis robur eſſe putat, Lectorumque mentes confuſione Definitionum, Suppoſitorum, & Concluſionum confundit, & falſis argumentationibus decipit; ſic totius rei explanationem exigit diffuſiorem, ne cum animarum detrimento a ſuis regulis tam ſancta aberret Religio. Ut igitur ex oppoſito ejus rationes evincantur, ſit noſtra propoſitio.

CAPUT XVII.

Non poteſt Minor vi ſua Regula pecuniam dicto modo apud Syndicum tenere pro neceſſitatibus futuris, ſive adſit Communitas, ſive non.

SUperius probavi, Fratres ſingulos non poſſe tenere pecuniam a communi disjunctam neque ex vi regulæ, neque ex vi præcepti Eccleſiaſtici, neque ex vi Statutorum, cum reſervatione demonſtrandi non poſſe neque ex vi voti, quod poſterius fiet. Ne dicta repetam, Lectorem deprecor, ut in re tam gravi dicta Capita revolvat, cum acturus modo ſim de vita communi, ut in dicta propoſitione.

Si adſit igitur vita communis, fatetur Adverſarius in Concluſione quarta dictam pecuniam teneri non poſſe ex vi Eccleſiaſtici præcepti. Non eſt parum, hoc eum fateri; ſed fecit, quia nimis clara ſunt verba Concilii, & Bullæ Clementis VIII. & Statuta ſupra notata, unde non auſus eſt negare. Tamen

quod

quod negare poteſt ex vi præcepti Eccleſiaſtici, negat ex vi Regulæ, & ex vi voti, quod infra recenſebimus. Interim ſufficiat, eum confiteri, pecuniam teneri non poſſe in manu Syndici, ubi ſervatur Communitas in vim præcepti Eccleſiaſtici. Si ſic eſt, peto ab Adverſario: Quomodo Fratres habebunt non ſolum neceſſitates, quæ in communione dari ſolent, ſed etiam utilitates, commoda, fercula delicatiora, coccolatam, ſorbilia, & alias delicias, pro quibus licitum eſſe recurſum, tam acriter propugnat? Certe ubi ſervatur hæc vitæ perfectio, iſta non ſubminiſtrabuntur. Fallitur igitur confitendo ex vi præcepti Eccleſiaſtici non poſſe Fratres depoſitum tenere, ubi ſervatur vita communis. Si enim iſta ſuo modo permittuntur a Bullis, erunt licita tam ubi communitas ſervatur, quam ubi non ſervatur, cum a lege non excipiantur. Melius eſt, ut typis alium mandet libellum, quo ſuſtineat licere depoſitum, etiam ubi ſervatur vita communis. In utroque enim Conventu militat ratio commoditatis, utilitatis &c. quando a Conventibus non adquiruntur. Hic eſt terminus, ad quem deducit tam laxa opinio, quæ non ſolum errantes præcipitat, ſed ſanctiores concutit, & a recto tramite aberrare conatur. Tamen cum in quæſtione conveniamus, nil immorandum.

Si non adſit Communitas, ſeu vita communis, in Concluſione tertia licere probat depoſitum, cum interveniunt quatuor conditiones antedictæ; nam aliæ conditiones in Bullis, & Statutis expreſſæ ad eſſentiam præcepti non ſpectant, vel ſi ſpectant, in illis quatuor continentur, neque aliam rationem adducit. Nota Auctoris malitiam. Ipſe pro ſua ſententia nullum e Regula textum adducit, nullum ex tot Bullis, nihil ex Concilio, & nihil ex Statutis, ſolam ſuam decantat cantilenam verborum commoditatis, & utilitatis, & his nugis vult omnes leges evertere. Bona pace ferendus eſſet, ſi non fateretur harum legum exiſtentiam, & contra ſe ſancientium; ſed eas fatetur,

tur, & nominat pag. 96. ubi ait: *Cur ergo*, inquit, *ſi ita eſt, a Nicolao III. & Clem. V. cur a pluribus generalibus Capitulis tam ante quam poſt hos Pontifices, immo etiam poſt Martinum IV. & V. & Pauli IV. declarationes, cur præſertim a Sambucanis nunc vigentibus Conſtitutionibus, cur denique a Regulæ expoſitoribus hæ conditiones &c.* (loquitur de iis conditionibus, quas non conſiderat de præcepti eſſentia) *inculcata ſunt*? Poterat ne plures leges, Statuta, & Auctores contra ſententiam ſuam adducere, & expreſſius fateri alias ab eis conditiones requiri præter quatuor? Hoc non obſtante ſuam opinionem vult omnibus prævalere, licet omni auctoritate penitus deſtituta ſit. Leges autem, & Statuta dicit eſſe lata ad meliorem, & ſanctiorem viam docendam: quod ſupra diffuſe probavimus. Interim ejus confeſſione firmemus leges pro me ſtare, meamque fovere ſententiam.

Quatuor ipſe enumerat conditiones ad detinendum licite depoſitum, ſed potiſſimam omittit, in qua tota quæſtionis vis conſiſtit, nempe quod depoſitum non ſit pro neceſſitatibus tractum temporis non tam breve requirentibus. Quis eſt enim qui neget pro præſentibus, & imminentibus aut præteritis poſſe recurri? Quis eſt qui dicat poſſe recurri per ſe, aut per interpoſitam Perſonam; Quod jus aliquod oſtendi poſſit in pecunia; Quod non recurratur pro vera neceſſitate; Quod fieri non debeat de Superioris aſſenſu? Hoc eſt velle probare id quod a nullo contenditur, & victoriam decantare ſine hoſte. Quæſtio eſt: An liceat etiam pro neceſſitatibus futuris non tam breve tempus requirentibus in Cap. XIV. Plurimis Bullis, Statutis, & rationibus allatis probavi, non licere Fratri recurſum habere pro talibus neceſſitatibus. Nunc ſupervacaneum eſt ea repetere cum præſertim Adverſarius, ut ſupra notavi, dictas leges non neget, immo fateatur, eaſque nominet. Ut vero tam claras leges infringat, adducit ne contratrios Textus a

Ne

Ne unum quidem. Quomodo igitur leges ſolvit? Lepidiſſimo ſane inventu. Dicit poſteriores Pontifices in ſuis Bullis mentionem non feciſſe de ea conditione, nempe quod neceſſitates debeant eſſe imminentes, & nihil dicendo cenſentur ab eis abrogatæ. Si cum pueris loqueretur, futilius argumentum adhibere non poſſet. Tacendo leges deſtruuntur? Solet dici, Qui tacet confirmat, ſed numquam audivi novum Adagium: Qui tacet abrogat. Canoniſtæ, etiamſi leges aliquando contrariæ videantur, aſſerunt contrarietatem admitti non debere, ſed conciliandas eſſe, ne una, aut alia deſtruatur. Et Adverſarius ſola taciturnitate Canones everti aſſerit? Dicat igitur: Non loquuntur multi de caſtitate, de obedientia &c. licet de Regularibus loquantur. Ergo abrogatæ ſunt obedientia, & caſtitas? Pejus. Non apponunt neque quatuor conditiones ſupra recenſitas, quas neceſſitates ipſe fatetur. Ergo abrogatæ ſunt? Præterea non ponunt neque preceptum vitæ communis, quod tamen a tota Eccleſia præſcribitur. Abolitum eſt igitur? Hæc argumenta potius deridenda ſunt, quam ſolvenda. Falſum eſt igitur, ſolas quatuor conditiones ab Auctore notatas requiri, ut depoſitum ſit licitum. Sed verum eſt per leges ab Auctore citatas, & confeſſas requiri, ut non teneatur pecunia pro neceſſitatibus futuris.

Ut fulciat Adverſarius opinionem ſuam, muſſitare conatur, vitam communem non eſſe de eſſentia Regulæ, neque ſatis conſtare in primordiis Religionis uſitatam fuiſſe. Duo mendacia, unum altero majus. In Cap. 6. 7. 9. 10. 13. probavimus aperte a Regula præſcriptam eſſe vitam communem inter alia iis verbis Cap. 5. *De mercede vero laboris pro ſe, & ſuis Fratribus corporis neceſſaria recipiant:* quod adeo verum eſt, ut omnes Bullæ, & quælibet Statuta hoc comprobent, vitam communem firmiter præcipientes: quod certe non facerent, niſi infallibilem agnoſcerent obligationem. Sed quid in hoc immoramur? Nonne

ne fatetur ipſe, hoc præcipi a Tridentina Synodo? Certe Synodus vitam communem non præcepiſſet, niſi de Regula Religionum eam cognoviſſet. Sit tamen quidquid vult Adverſarius, ſit præceptum Eccleſiæ. Anne igitur ſervandum non eſt? In Suppoſito ſuo ſexto fatetur, præceptum hoc Eccleſiæ & collective, & diſtributive Fratres ſuos obligare. Quid ergo quærendum, an ſit de eſſentia Regulæ, necne? Eſt præceptum, ergo eſt de eſſentia præcepti. Eſt obligatorium, ut ipſe fatetur, ergo inutile eſt quærere, an ſit de eſſentia Regulæ.

Neque verum eſt, quod ait ſecundo, non conſtare de hujus vitæ communis uſu in primordiis Religionis. Legimus enim in Capitulo Pariſienſi 1329. Cap. 4. hæc verba: *Ubi vero tam debilitas, vel infirmitas &c. aliter ſuaſerit faciendum, poſſint a communi vita Conventus infirmi quidem, & debiles ſe ſubtrahere, quamdiu infirmitas, vel debilitas duraverit* (& poſtea). *De Eleemoſynis, & rebus aliis, quæ Conventibus obveniunt, per Guardianum provideatur moderate &c. Fratribus in communi &c.* Idem legitur in Capitulo Aſſiſienſi 1430. Cap. 5. *Merceſque laborum &c. conſignetur Procuratori &c. de qua poſſit Prælatus omnibus Fratribus ibi commorantibus &c. communiter providere.* Hæc Statuta ſunt certe primævæ Religionis, cum habita ſint 1329. & 1430. & tamen etiam eo tempore ſervabatur communitas. Quod Statutis evincitur, Bullis confirmatur; nam Nicolaus III. Exiit 1279. §. Porro, vitam communem præſcribit exemplo David, qui *deſcendentium ad prælium, & remanentium ad ſarcinas* volebat portiones æquari. Hæc Bulla eſt pæne cum Religione coæva, & tamen communem vitam præſcribit. Non eſt igitur quod dicat, non conſtare de vita communi in Religionis initio; & talis negatio redarguenda eſt.

Attamen objectiunculam adferre non deſinit Adverſarius. Hæc quinta conditio, inquit, quod neceſſitates ſint præſentes, aut imminentes, & non futuræ, con-

continetur in ſua tertia conditione, qua exigit neceſſitates eſſe *veras*, quia cum veræ ſint neceſſitates, tam ſunt veræ de præſenti, quam de futuro. Et inſuper ait, non pertinere ad rei eſſentiam quod ſint neceſſitates imminentes, aut futuræ. Irridere videtur, & contemnere Minores, quaſi minimæ rationis compotes intelligere nequeant, quid ſignificet nomen illud a Bullis adhibitum, *Vera* neceſſitas. Dictio illa non quantitatem aut qualitatem neceſſitatis, nec tempus, quo advenient, ſignificat, ſed veritatem neceſſitatis, quæ nempe ficta non ſit, & ementita. Legantur Bullæ, & Statuta omnia. Requirunt *veram* neceſſitatem, & eodem tempore prohibent pro futuris. Igitur ly *vera* aliam non habet ſignificationem, niſi *non fictam*, alioquin futuras non prohiberent.

Quod autem non pertineat ad rei eſſentiam, neceſſitates eſſe de præſenti, aut de futuro, gratis dicit, ne dicam nimia animoſitate. Si enim præcipitur a Bullis, & Statutis, ut demonſtravi Cap. XIV. neque ulla eſt lex contrarium decernens, eſt imputatio Legiſlatoribus ſanctis, & venerabilibus de ſtoliditate, quaſi neſcirent quid dicerent, vel irrationabilia præciperent. Sed ſi favorabiles ſunt eæ leges, ut per totum librum fatetur, & pro futuro recurſum proſcribunt, arctare igitur non intellexerunt Fratres ad ea, ad quæ non tenentur. Ergo eſſe de rei eſſentia judicant leges, quod neceſſitates non ſint futuræ. Ergo non eſt verum Pithanophili aſſumptum, quod exiſtentibus quatuor illis tantum conditionibus ab eo notatis peccati labes evitetur, & pro futuris tute ad particulare depoſitum recurri poſſit.

Cum inutiles, & vani ſint tales Auctoris inventus, redeundo ad ſecundam prepoſitionem noſtram, ſi urget Præceptum vitæ communis, quid agere debent Fratres in Conventibus degentes, in quibus Communitas non obſervatur? De hac re agemus inferius in Cap. XIX. in quo demonſtrabimus, vitam communem eſſe de Eccleſiæ præcepto in quocumque loco ſint

Fra-

Fratres. Sufficiat hactenus vana, & inania Adverſarii objecta ſolviſſe, atque comprobaſſe communem vitam eſſe de præcepto Regulæ.

CAPUT XVIII.

Non poteſt Minor vi voti pecuniam dicto modo tenere, ſive ſit Communitas, ſive non.

PRima parte exagitata, an liceat Fratri Minori pecuniam in manu Syndici vi regulæ detinere a communi ſejunctam, ad ſecundam partem devenimus propoſitam in Prooemio, an idem liceat ex vi voti, eodemque tempore perquiremus, an liceat tam ubi ſervatur vitæ communitas, quam ubi non.

Pithanophilus in quarta Concluſione defendit licere depoſitum prædictum etiam ex vi voti tam ſi extet Communitas, quam ſi non ſervetur; duabus rationibus innititur. Una eſt, quia ſervatis quatuor conditionibus ſupradictis nullum peccatum admittitur; de qua re cum ſatis in Capite anteſcripto loquuti ſimus, ſuperfluum eſt repetendæ immorari. Altera eſt, quia ex vi voti poſſunt Minores quidquid poſſunt ceteri Regulares, adminiſtrante tamen, & impendente Syndico.

Ad ſolita ſubterfugia ſua, ſuaque artificia confugit Auctor; quod ſecum facit, promptiſſime arripit: quod obeſt, omittit, tamquam ſi non videret. Sub votum paupertatis duo cadunt. Unum eſt ſimplex paupertatis votum, quod a cunctis Regularibus emittitur. Alterum, votum paupertatis prout in Regula, & Bullis, & Statutis eam declarantibus. Ipſe loquitur de voto paupertatis in genere, ſive ut ab omni Religione emittitur, & nihil conſiderat votum talis paupertatis, prout a Regula præſcribitur: quod tamen clarum eſt in formula profeſſionis, quæ dicit: Voveo, & promitto &c.

Dicet fortaſſe, ſe de hoc ſecundo voto egiſſe in Concluſione tertia, quando egit de Regula. Ergo quando egit de Regula, conſulto omiſit voti obligationem, nullibi enim de hoc voti vinculo mentionem facit. Sicuti autem ex vi regulæ demoſtravimus Capite anteriori non licere depoſitum pro futuro, multo minus ex vi voti, quod ſuperadditur obligationi exequendi regulam, quando fit Ordinis profeſſio.

Hinc falſum eſt, poſſe Minores ex vi voti, quidquid poſſunt alii Regulares cum ſola differentia, quod hi poſſunt manibus ſuis impendere, illi vero non poſſint opera niſi Syndici. Hoc demonſtravimus Cap. VIII. quod Lectorem relegere non pigeat. Et quidem ceteri Regulares in communi poſſidere ſinuntur, Minores non item.

Inter illos admittitur uſus pecuniæ, inter Minores non item. Inter illos Superior omnia moderationi ſtatus non repugnantia poteſt concedere tamquam verus dominus. Inter iſtos nullum habet arbitrium cum domina ſit Eccleſia, & ſola ejus auctoritas ad neceſſitates dignoſcendas ſe extendit. Illi poſſunt vivere de reditibus, iſti a ſua regula de Eleemoſynis, & laboritiis ſe ſuſtentare coguntur, neque ad pecuniam recurrere poſſunt, niſi Eleemoſynis, & laboritiis non ſufficientibus. Illi non vovent niſi ſe victuros ſine proprio. Iſti ſe victuros mendicatim, de laboribus, & in pauperte altiſſima. Nulla igitur comparatio inter uſum, & dominium habentes, & omni uſu, & dominio ſpoliatos.

Sicuti autem & regula, & votum non mutantur, ſive Communitas ſervetur, ſive non, ita urget præceptum tam ubi viget, quam ubi non viget Communitas, de quo fuſius in ſequenti Capite.

CA-

CAPUT XIX.

Non licet Fratri Minori vi Eccleſiaſtici præcepti dicto modo pecuniam tenere, ſive adſit Communitas, ſive non.

Contrariam opinionem defendens. Pithanophilus in Concl. 5. teſtatur ſe non curare an teneantur Fratres ex vi præcepti communem vitam ducere; ſed poſito quod communitas non ſervetur, Fratri licitum aſſerit dicto modo pecuniam habere, nec teneri in communem Capſam conferre, quia ſi unus conferat, & ceteri non, Ærarium non eſſet commune, ſed unius.

Curioſus quidem arguendi modus. Ubi de terminis commoditatis, & utilitatis agitur, eſt incomparabilis Dialecticus. Ubi de ratione agitur, videtur in Foro profeſſor. Non curas, Pithanophile, an teneantur Fratres communitatem ſervare, & quia hoc præceptum a reliquis non obſervatur, ab alio præcepto circa pecuniam cum Fratre diſpenſas? Ceteri ſunt improbi; Ergo licet eſſe ſurem? Peccant tuo modo alii contra Eccleſiaſticum præceptum vitæ communis; Ergo bono licet peccare contra regulam altiſſimæ paupertatis? Quis audivit talem argumentationis ſpeciem? At inquies te non deducere hanc Concluſionem ex illo ſuppoſito, ſed facto tali ſuppoſito, Fratres ex quadam naturali neceſſitate ad pecuniam poſſe recurrere. Sed hoc eſt effugere quod ex tuis Concluſionibus te convincit. Faciamus enim aliud ſuppoſitum, (quod verum eſt), & dicamus ſic: Fratres omnes, ut ſinguli peccant ſi vitum communem non ſervent: Hoc ſuppoſito poſſunt ne modo ſupradicto tenere pecuniam? Aut dicis eos poſſe, & tunc ecce verum quod dicebam quia ex eo, quod unum præceptum non obſervant ab alio eos diſpenſas. Aut dicis illos non poſſe, & falſam fateris tuam argumentationem;

Nam tacite ſupponis, Fratres non peccare, quando vitam communem non ſervant, & ex eo deducis, eos pecuniam tenere poſſe.

Non eſt igitur omittendum, ſive non curandum, an Fratres collective, & diſtributive ad vitam communem teneantur ſub gravi, quia Adverſarius huic rationi valde innititur, & pacta ſervando Auctores non adhibebo in hujus puncti exagitatione. Interim cum eo convenimus, Concilii decretum de communi vita ſervanda ad mortale peccatum obligare: Hoc enim ipſe fatetur expreſſe in Concluſione ſexta, & invincibiliter eruitur a verbis Concilii: *Neceſſarium eſſe cenſuit &c. præcipere, prout hoc decreto præcipit, ut &c. ad communem vitam victum, & veſtitum obſervanda pertinentia, fideliter obſervent*. Similiter convenimus, hoc præceptum eſſe ſimul collectivum, & diſtributivum, ita ut omnes ſimul, & ſingulos afficiat, ut ipſe confirmat in quinta ſua Concluſione, immo ea verba ſunt deprompta a dicta Concluſione

Nunc ad propoſitum noſtrum deſcendamus, & ne multiplicentur conſiderationes, ac diſtinctiones, de Minoribus loquamur, ceteris Regularibus omiſſis. Supponamus Conventum, in quo integra communis vita non ſervetur. Vel non ſervatur, quia omnes communitatem reſpuunt; & tunc certiſſime omnes mortaliter peccant, & in peccato perſeverant, donec contumaces inveniuntur. Vel unus vitam communem vult, & procurat, ceteris renuentibus. In hoc caſu dicit Adverſarius, Fratrem illum non teneri ad pecuniam in Capſa communi incorporandam, ſed poſſe ſeparatam detinere in manu Syndici pro neceſſitatibus ſuis. Si ſic eſt, duo peto. Quomodo igitur præceptum Eccleſiæ eſt diſtributivum, ſeu quomodo ſingulos afficit? Quia alii Eccleſiæ renuunt obedire, ſi ipſe non obedit, innocens eſt? Certe non. Quænam enim differentia eſt inter aliorum Fratrum inobedientiam, & operationem Fratris ad vitam communem parati, ac diſpoſiti, ſed non exequentis? Nulla alia niſi in volun-

luntate conditionata, dummodo etiam alii præcepto obtemperent. Iniqua eſt conditio, quia ei nec licet ſtare legi Fratrum, ſed præcepto Eccleſiæ adhærere debet. In facto autem æqualiter cum eis ſine ulla differentia peccat, nam in facto pecuniam retinet, & vitam communem non ſervat. Neque juvat dicere, Fratrem illum, quantum ex ſe eſt, paratum eſſe, quia executio præcepti verſatur circa factum, & niſi facto pecuniam in communi deponat, inobedientiæ reus eſt, quia præceptum eſt diſtributivum, & ſingulos afficit. Secundo peto. Etiam præceptum obedientiæ inter Subditos Fratres eſt ſimul collectivum, & diſtrivutivum, cum omnes, & ſingulos afficiat. Si unus ad obtemperandum eſſet paratus, alii vero non, poteſt ne Frater ille, qui ad obedientiam erat diſpoſitus, Superiori non obedire, quia ceteri Fratres non obbediunt? Certe non. Cum enim obedientia in facto conſiſtat, ſi facto non obediat, reus eſt. Et quidem eſſet ridicula deductio: Omnes peccant: Ergo mihi licet peccare.

Reſpondet tamen Pithanophilus. Ceſſat finis legis, unde ceſſat Lex. Finis enim legis eſt, ut ex omnium pecuniis unum conſletur Ærarium, quo omnibus, ac ſingulis provideatur. Hoc Ærarium renuentibus aliis fieri nequit, unde finis deficit. Neque verum eſt, eum eſſe finem Legis, neque vera eſt deductio. Non eſt finis legis, quia finis Concilii fuit, ut ſervaretur votum paupertatis, & a Regularibus omne dominium abdicaretur, atque regulæ præcepta obſervarentur. Non enim præceptum emanavit, ut Regularium paupertati conſuleret; vivebant enim ſine Fratrum ſingularium peculio; ſed ut Regulam, & præcepta obſervarent, quod expreſſe ait in Cap. 1. Seſſ. 25. de Reform., ubi vitam communem præcipit illis verbis: *Neceſſarium eſſe cenſuit*, quo facilius, ac maturius, ubi *collapſa eſt vetus, & regularis diſciplina, inſtauretur*, unde pecuniam in communitatem non conferebant. Quem Adverſarius finem legis ſup-

 ponit,

ponit, non eſt finis, ſed ipſa lex eſt, quæ præcipit, omnia in commune deponere. Falſum eſt igitur, quod pecuniæ reſignatio ſit finis legis; Et æque falſa eſt Adverſarii deductio: Ergo ceſſat lex. Hoc autem duplici cauſa. Prima eſt, quia ſi non eſt verum Suppoſitum quod pecuniæ reſignatio ſit finis legis, ut probant verba Concilii & ratio, non poteſt vera eſſe deductio. Secunda. Si legem edit Synodus, ut abuſus tollat, igitur lex vult abuſus deſtruere. Quomodo igitur ipſi abuſus a lege damnati poterunt eandem tollere legem?

Altera reſponſio. Si Frater non tenetur in commune pecuniam reponere, quando communem vitam ceteri reſpuunt, vel hoc oritur, quia novum jus ſuper pecunia acquirit, vel etiam nullum jus novum acquirens. Si dicatur primum, ecce jus ſuper pecuniam ab omni lege damnatum, & ab ipſo Pithanophilo confirmatum in Suppoſito tertio. Si dicatur ſecundum, nihilo plus habet juris ſi ſervetur vita communis, ac ſi non ſervetur. Sed ſervando vitam communem depoſitum tenere non poteſt, ut affirmat Adverſarius in Concluſione ſexta; ergo neque poterit tenere, ſi communitas non ſervetur, nam, ut diximus ſupra, nullum novum jus Frater acquirit. Nec valet dicere, poſſe pro neceſſitatibus recurrere, cum iis a communi non provideatur. Si enim eſt neceſſitas præſens, aut imminens &c. licitus eſt recurſus tam ubi vita communis ſervatur, quam ubi non ſervatur, niſi ſuppleat, aut ſupplere poſſit communitas. Sed longius tendunt oculi acies Auctoris, & laxitatem his circumventionibus quærit.

Tertia reſponſio. Aut Eccleſiæ præceptum de vita communi ſervanda eſt conditionatum, aut eſt purum, & abſolutum. Conditionatum dico, hoc eſt, ſi major pars Fratrum præcepto non obtemperaverit, neque reliqui teneantur. Tali modo conditionatum eſſe præceptum Eccleſiæ nemo dicere audebit. Eſſet enim in manu impiorum non ſolum præceptum ſpernere, ſed

ſed etiam facere, ut non ſervetur a bonis. Præterea non poteſt eſſe conditionatum, quia Eccleſia illud publicavit ad coercendos Fratres ad communitatem, quam non obſervabant, ut ſupra oſtendimus, & ad omnes ſive bonos, ſive malos adſtringendos, unde nemo a lege excipitur. Et eſſet quidem ridiculum, ſi impios vellet ad bonum adſtringere, bonis vero habenam laxare permitteret. Lex cum tali conditione non eſſet amplius lex, nam ut ſit talis debet eſſe ſancta, & univerſalis, ut dicitur Can. fruſtra diſ. 8. & ibi gloſſa. Cum dicta conditione nec eſſet ſancta, quia bonis mala permitteret, nec univerſalis, quia multos exciperet. Non poteſt igitur præceptum Eccleſiæ eſſe conditionatum. Eſt igitur præceptum purum, & abſolutum. Ergo nullum excipit, & quilibet illud obſervare tenetur etiam aliis renuentibus, & vitæ communi non adhærentibus.

Quarta reſponſio. Inter Fratres Minores duo ſunt præcepta. Unum eſt, ut vita communis ſervetur, ad quam etiam reliqui Regulares tenentur. Alterum eſt, ut nullum habeatur rerum dominium, aut uſus, ſed omnia mobilia, & pecuniæ in eos obvenientes in dominium Eccleſiæ pertranſeant, ad quod ſecundum præceptum Regulares ceteri non alligantur. Si etiam verum eſſet, quod evidenti errore aſſerit Pithanophilus, quod Frater non teneatur præcepto Eccleſiæ, ſi ceteri Fratres communitatem rejiciunt; non per hoc tamen eximeretur a ſecundo præcepto, quo tenetur pecuniam incorporare, & confundere cum reliquis pecuniis in Capſa Eccleſiæ. Hoc enim eſt de eſſentia Regulæ, Bullarum, & Statutorum, ut ſupra oſtendimus, & eſt maxima differentia inter altiſſimam Minorum paupertatem, & paupertatem aliarum Religionum. Sive igitur communis vita ſervetur, ſive non ſervetur, ſemper tenetur Frater particularis pecuniam apud Syndicum deponere, eamque incorporare, & confundere cum reliquis Eccleſiæ peculiis, quia non mutatur præce-

ptum, quia non excipitur a præcepto, quia lex eſſet ridicula & particularis, quia tandem non ab uno, ſed a duobus præceptis adſtringitur.

CAPUT XX.

Quomodo Fratris neceſſitatibus providendum ſit, ſi vita communis non ſervetur.

QUæſitum hoc facile eſt, nec ejus ſolutio ſudorem excitat. Tamen proponendum eſt ad cavillationes evitandas, & ad onus regulæ dulce, honeſtum, & leve demonſtrandum. Non enim putandum eſt, aut S. Fundatorem importabile onus ſuis Fratribus impoſuiſſe, aut Summos Pontifices in regulæ confirmatione, & in tot declarationibus fuiſſe Tyranos. Duo in mente ſculpere oportet, eaque firmiter retinere. Alterum eſt, Fratres Minores debere vivere de Eleemoſynis, & laboritiis ſequentes Apoſtolorum morem, ad quorum imitationem inſtituti ſunt, & *divina providentia ſe committere, quæ volucres cæli paſcit, licet non congregent*, ut ait Clemens V. in Bulla Exivi 1310. §. Proinde. Alterum eſt, quod pro ſuis neceſſitatibus præſentibus, imminentibus, urgentibus, & quæ brevi tempore modo ſupra notato venturæ ſunt, provideri debent. Duobus his principiis fundatis, facilis, æqua, & omni juſtitia plena erit reſponſio. Pro neceſſitatibus a Regula, Bullis, & Statutis admiſſis poſſunt licite ad pecuniam recurrere, hoc eſt pro dictis neceſſitatibus præſentibus, imminentibus, urgentibus, & quæ brevi tempore eveniunt, dummodo fiat de licentia Superioris. Hoc autem fieri poteſt tam in Conventibus, ubi Communitas non ſervatur, quam ubi ſervatur. Si enim neceſſitates veræ ſunt, & non fi-

ctæ,

ctæ, ac ſi ſunt ex illis, quæ a lege admittuntur in omni Conventu, provideri debent. Neque obſtat quod in tali Conventu ſervetur Communitas, nam ratio, propter quam Eccleſia recurſum ad pecuniam admittit, non eſt, quia in tali Conventu ſervetur, aut non ſervetur vita communis, ſed ſola, & vera ratio eſt ut ſubleventur Fratrum neceſſitates, unde ratio eſt neceſſitas, non vita ſine communione. Sicuti autem etiam in Conventibus vita communi adſtrictis aliqua poteſt dari neceſſitas, quæ a Conventu non ſuppleatur, vel ob nimiam expenſam, ut ſi ſint Libri, vel ob tuendam valetudinem &c. ita de licentia Superioris etiam in Conventibus ubi ſervatur communitas aliquando licitus poteſt eſſe recurſus. Ex quo apparet, quam ſit falſa Pithanophili opinio, qui defendit licere recurſum in aliquibus Conventibus, quia in iis non ſervatur vita communis, & quam falſa ſit etiam alia, in qua dicit, non licere recurſum ubi ſervatur communitas. Semper enim licet recurſus de Superioris aſſenſu, quando adeſt neceſſitas, & a Conventu non ſuppletur.

Sed dicit Adverſarius, niſi Frater depoſitum particulare in manu Syndici teneret, quomodo poſſet ſuas habere neceſſitates *pro oleo, charta, ſolutione literarum, reſarcitione ſolearum, veſtimentorum, lotione pannorum, ac ceterorum, quæ in Ordine ſingulis non ſuppeditantur?* Grandis objectio! Audi, quam facile ſolvatur. Si aliquid lucratus es de prædicatione, de Miſſis tibi relictis, de laboritiis, donationibus, Eleemoſynis &c. licentiam pete a Superiore, ut per manum Syndici illa poſſis parare, quæ per aliquod tempus ſed non longum tibi ſufficiant, & neceſſitatibus erit conſultum, reliquum vero in Capſa communi relinque. At repetes, & quid agendum pro futuro? Fac quod Deo in regula promiſiſti, noviter operare vel prædicando, vel laborando, vel miſſas celebrando, vel Eleemoſynam petendo &c. *& divinæ providentiæ confide, quæ volucres Cæli paſcit, licet non*

con-

congregent, ſitque, ut facere debes, provideberis, & tutus eris ante tribunal Dei, nihilque deficiet tibi. Cetera reſponſione ne digna quidem ſunt. Hortatur enim ut depoſitum teneat pro Coccolata, Caffe, ſorbilibus-delicatis, pro Vino generoſo pro ferculis melioribus, quæ commoda, & utilitates licita, & honeſta vocat. Sint ejus modo tales; nonne erubeſcendum eſt Fratres Chriſti Domini, & Apoſtolorum imitationem profitentes, altiſſimam paupertatem voventes, per Regulam ſuam de ſolis laboritiis, & emendicationibus vivere adſtricti talibus rebus uti? Quid amplius facere poſſunt divites, niſi ad gulam Coccolatis, Caffè, ſorbilibus delicatis, & ferculis melioribus uti? Si pauperes Chriſti haberent quod pia concedit Religio, ſe crederent divites; & Fratres ſe altiſſimos pauperes jactabunt tantis in delitiis? Et pro his licebit contra legum clamorem depoſitum tenere? Honeſtat tamen dictum ſuum maxime in Studentibus, quaſi non ſint aliæ Religiones perfectam ſervantes communitatem, in quibus ſtudia vigent, nec iis utantur. Quaſi tot, & tanti Sancti, in ſtudio maximopere verſati, Doctores Eccleſiæ ampliſſimi, qui toto tempore vitæ ſuæ magnam abſtinentiam cum ſtudio, & prædicationibus junxerunt. Qui hæc volunt, vindicem Deum conſulant, & videant quod ſit vera medicinæ neceſſitas, non gulæ, aut levis timoris, aut vanitatis effectus, nam contra has vanitates omnes leges & Statuta clamant. Sed ut ſuis armis, ſuaque opinione convincatur Adverſarius, dicat quæſo. In Conventibus vitam communem ſervantibus miniſtrabuntur hæ delitiæ ſaltem ſtudentibus, & ſimilibus delicatis? Non certe. Et tamen dicit in talibus Conventibus non licere depoſitum pro neceſſitatibus, commoditatibus, & utilitatibus, immo peccare Superiores licentiam dantes ut in ſua Concluſione ſexta. Fatetur igitur has non eſſe licitas neceſſitates, nam ſi eſſent licitæ, vel teneretur Superior eas ſupplere, vel non peccaret, ſi pro illis depoſitum, & recurſum permitteret.

Futi-

Futilitatibus iſtis reſpondi, ut omni ex parte falſitates, erroneitates, & laxitates Auctoris convincerentur. Ceteroquin cujus efficaciæ eſt quæſo argumentum, quod licitum eſſe debeat depoſitum, & recurſus eo quia in tali Conventu non ſervatur plena communitas? Quis eſt, qui Fratrem ad talem Conventum alliget? Quis eſt qui eum impediat, ne in alium ſe transferat, ubi vita communis non ſervatur? Voluntarie degit in illo, non curat ſuo facto Eccleſiæ præceptum. Scit ob hanc cauſam, ſe cum aliis ad pecuniam recurſurum; Et ob hoc malum ſe conſecuturum credit in præmium, ut ab alio præcepto diſpenſetur, non recurrendi ad pecuniam? Iſtæ non ſunt neceſſitates, ſunt expreſſæ, & manifeſtæ velleitates. Oportet, nullo modo poſſe alium Conventum ſeligere, & omnes vias ei præcludi, ita ut cogeretur in eo neceſſario degere; Et tunc poſſet ad pecuniam recurrere. Sed adverte quomodo. Nam poſſet quidem de Superioris licentia pro neceſſitatibus præſentibus, & imminentibus; & ad ſummum pro brevi tempore venientibus; ſed in cauſis ſupra notatis, numquam vero pro futuris. Neque hoc aut difficile videri debet, aut durum. Non difficile, nam ſi frequentes ſunt neceſſitates, frequentes etiam ſunt Miſſarum Eleemoſynæ, prædicationes, quæſtuationes, laboritia, & alia, quibus identidem ſibi poſſunt Fratres providere, unde nihil difficultas obſtat, conſiderata maxime ſtatus profeſſione, & qualitate altiſſimæ paupertatis Deo promiſſæ, quæ niſi detrimentum, & paſſionem aliquam produceret, meritoria non eſſet. Minus vero durum, nam nil honeſtæ neceſſitati negatur, neque durum putandum eſt poſſe habere neceſſaria quælibet præſentia, & imminentia, & pro futuris providentiæ Dei ſe committere, quam numquam legimus aliquem Fratrum dereliquiſſe. Si, cui regulæ ſe voluntarie adſtrinxerint, ſerio conſiderent, non ſolum nihil durum apparebit,

ſed

ſed onus leve experientur, nam mendicando, & de laboribus ſuis vitam degere promiſerunt.

CAPUT XXI.

Tertia objectio.

EX Capite quarto Statutorum generalis Capituli à S. Joanne de Capiſtrano compoſitorum maximam vim probationis ſuæ eruit Adverſarius tamquam Statuta a Martino V. approbata. In eo Capite jubentur omnes Eleemoſyæ pecuniariæ, & aliæ &c. Syndico conſignari *in reparationem Conventuum, aliaſque neceſſitates pro tempore occurrentes*, ſicque Fratres nullo modo denarios recipiant (exinde ſequitur his verbis). *In omnibus autem, quæ ultra hæc magis arctarent Fratres dicti Ordinis, ſive ex declaratione Clementis V. ſive quacumque alia declaratione ſummorum Pontificum, vel aliorum quorumcumque, auctoritate nobis commiſſa miſericorditer diſpenſamus, non adſtringentes præterea eos, qui voluerint præfatas declarationes ſervare, quin ſuo voto ſatisfacientes ſervare valeant, & tenere.* Ex hoc Capite duo potiſſimum colligit eſſe neceſſaria, ut pure ſervetur regula. Unum eſt quod omnis pecunia in manu Syndici deponatur. Alterum quod impendatur in neceſſitates pro tempore occurrentes, his autem ſervatis omne debitum ſolutum aſſerit. Neque obſtant Bullæ anteriorum Pontificum, quia a Statuto diſpenſantur.

Ante omnia adverte, quam fideliter ſuis promiſſionibus adhæreat. Se profitetur non curare Statuta, ut confuſa, inter ſe contraria &c. Sed ſi aliquid invenit ſuæ propoſitioni favorabile, adducere non deſinit. Tamen contraria Statuta, quæ tot, & tam

clara

clara ſunt; neque affert, neque ſolvit. Utinam Statutorum deciſionibus acquieſceret, & verborum ſpeculatione omiſſa, clariſſimis eorum ſanctionibus perſuaderetur, tales, tantaſque res in ſancta Religione non promoveret. Sed ad ſolutionem deveniamus.

Quoniam igitur Capiſtranis Statutis vult ſtare, ſatisfiat. Quæſo igitur. Dicuntne, poſſe Fratrem particularem in manu Syndici ſeparatum depoſitum tenere? Ne verbum quidem. Dicunt, Fratrem tenere poſſe peculium pro neceſſitatibus futuris? Nullum legitur verbum. Dicunt, poſſe tenere pro Coccolata, pro ſorbilibus delicatis, pro ferculis electis aut ſaltem pro commoditatibus, pro utilitatibus? multo minus. Dicunt tandem, ubi Communitas non ſervatur, depoſitum licere? Nequaquam. Quid eſt igitur; quod manus quatiens victoriam canit? Quia invenit ea verba, neceſſitates pro tempore occurrentes, & diſpenſationem ab illis, quæ magis Fratres arctarent. Nam aliud certe non legitur, quod ad ejus favorem faciat, ſtando propoſitioni, quam in Opere ſuo probare intendit. Et tamen ſola quæſtio verſatur ſuper his punctis. Quod vero dicat Statutum, deponendas eſſe pecunias in manu Syndici pro neceſſitatibus pro tempore occurrentibus, ly *pro tempore* non ſignificat tempus futurum, ut ſupra demonſtravimus Cap. 14. ſed neceſſitates imminentes, vel de brevi tempore ſuperventuras, quod multis Bullis, & Statutis ibi notatis comprobatum eſt.

Sed ut propius oppugnetur, videamus quid dicant eadem Statuta in Cap. primo, & quinto. In primo ſic ajunt: Quoad votum paupertatis, ideſt, vivendo ſine proprio, & quod Fratres nihil ſibi approprient. *Statuimus, & ordinamus illud inconcuſſe* (nota adverbium *inconcuſſe*) *tenendum, quod felicis recordationis. Nicolaus III. declaravit in ſua Decretali: de verb. ſignif. Exiit, qui ſeminat &c. lib. 6. §. Porro ſucceſſive, & ſeriatim per ordinem uſque ad §. Verum quod expreſſe continetur in Regula*. Decernit igitur Statutum,

tutum, inconcuſſe tenendum, quod ſtatuit Nicolaus III. in ſua Bulla Exiit, qui ſeminat. Nulla eſt autem Bulla, quæ ſtrictius Minores arctet quam Nicolai III. ut oſtendimus in dicto Cap. 14. Nam ipſe prohibet in §. Inſuper omnem providentiam ſub colore futuri. Ipſe recurſum admittit pro ſolis neceſſitatibus imminentibus, & quæ brevi tempore eventuræ ſunt, vel non tam brevi, poſitis tamen certis caſibus, ut in §. Et quia. Ipſe præcipit vitam communem, ut in §. Niſi.. Nihil tandem concedit de his, quæ ab Adverſario propugnantur. Statutum igitur contra eum ſtat. In Cap. vero 5. dictorum Statutorum idem evidenter convincitur definiente ſic Statuto: *Statuimus, & ordinamus, quod Fratres habentes gratiam laborandi, laborent fideliter, & devote prout in Regula continetur, merceſque laborum, ſi pecuniaria fuerit; per ſolventem ſtatim aſſignetur Procuratori &c. de qua poſſit* (Superior, quem ante nominat) *omnibus Fratribus ibi commorantibus, prout neceſſitas exegerit, communiter providere*. Nota quid decernat Statutum. Præcipit primum expreſſe vitam communem. Secundo Fratrum lucra non poſſe apud Syndicum ſeparata teneri pro neceſſitatibus Fratris particularis, ſed omnium Fratrum. Ergo prohibet particulare peculium. Quid eſt igitur, quod jactare poſſit Adverſarius ſuper hoc Statuto? Ipſe aſſeverat duo per eas leges ſufficere, ut Regula pure obſervetur. Unum eſt, quod pecunia in manu Syndici deponatur; & hoc veriſſimum eſt; ſed præcipit, eam deponi pro neceſſitatibus omnium Fratrum *in communi*, non cum depoſito ſeparato. Quia tamen hoc ad rem ſuam non facit, de more malitioſe omittit. Alterum eſt, quod pecunia erogetur in Fratrum neceſſitates pro tempore occurrentes. Sed omittit quænam eſſe debeant neceſſitates permiſſæ, licet verbis expreſſis indicentur quando Statutum ſe refert ad Bullam Nicolai III. eamque confirmat. Bulla vero excludit neceſſitates futuras, collectiones pro futuro etiam ſub

colo-

colore providentiæ &c. In quibus igitur fundat tantam triumphi exaltationem? Si enim, quod in quæſtione eſt, cum his Statutis cribretur, totum eſt contra eum. Si de Communitate vitæ loquamur, hæc clare præcipitur. Si de peculio ſeparato, hoc proſcribitur. Si de depoſito pro futuro, hoc damnatur, relata Bulla Nicolai III. inhibentis congregationes ſub colore providentiæ in futurum. Præterea ſi, ut pure Regula ſervetur, dictæ duæ tantum conditiones requiruntur; quare igitur in Concluſione quarta quatuor aſſerit requiri, ut peccatum evitetur? Sibi contradicit, & evidentem falſitatem in uno, aut alio loco defendit.

Sed dicet: Si ſic eſt, quid igitur diſpenſat Statutum, quando ait, ſuper hoc diſpenſare Fratres ab omnibus aliis, quæ magis eos arctarent, ſive ſint ex Bulla Clementis V. ſive aliorum Pontificum. Reſpondeo in multis diſpenſare, nam multa dubia habebant Fratres in dictæ Bullæ executione, quæ ſolvi optabant, ut verbi gratia: An liceret ex quacumque cauſa ad pecuniam recurrere in neceſſitatibus, an vero ſolum pro Infirmis, & pro Fratribus induendis, ut in §. Porro. An ex profeſſione ſuæ Regulæ in omnibus tenerentur ad arctos uſus, ſeu pauperes, ut in §. Licet. Et alia, ſi quæ eſſent nimis arctantia. Inſuper ea Statuti diſpenſatio probabiliſſime non cadit ſolum ſuper materiam pecuniæ, & paupertatis, ſed ſuper alia etiam, quæ præceperat in Capitibus præcedentibus.

Omnia hæc tamen confutavimus, ut pateſiant Adverſarii circumventiones, malitioſæ legis omiſſiones, erroneitates elaboratæ, & mendicatæ artificioſæ probationes. Cæterum cujus vis eſt Statutum illud? Nullius prorſus ex ejuſdem Adverſarii confeſſione. Pagina enim 26. fatetur omnibus privilegiis, indultis, diſpenſationibus, & relaxationibus Minorum Ordinem multiores renuntiaſſe. Cumque evidentiſſime ſit diſpenſatio a Regula, per dictas renunciationes, & alias

alias Bullas poſteriores abrogatum eſt illud Statutum. Et ut dicta abrogatio evidenter eluceat, inter alias, quæ afferri poſſent, legatur Bulla Innocentii XI. Sollicitudo 1679. publicata ut S. Pontifex ait ad inſtantiam Religionis, in eaque ait: *Nos &c. ut in ordine prædicto ſtatus, & regula Fratrum pure obſervetur, ſingulisque Fratribus. prætextus eam tranſgrediendi præcludatur* (conſideret ea verba Adverſarius) *&c. harum ſerie auctoritate Apoſtolica approbantes, & confirmantes motu proprio, & ex certa ſcientia &c. declaramus, omnes, & ſingulos Fratres de corpore Obſervantiæ dicti Ordinis teneri in conſcientia obſervare Regulam &c. Et præcepta ejus a fel. rec. Nicolao III. & Clemente V. Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris expoſita.* (& poſtea) *At propterea omnes, & ſingulas diſpenſationes, conceſſiones, & conſuetudines, ſi qua ſunt contra præ miſſa &c. motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine &c. revocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac revocatas, caſſatas, irritas, & nullas, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuas eſſe, & perpetuo fore dicernimus, & declaramus*. Poteſt ne Pontifex efficacioribus verbis ſancire?

Super hac Bulla notet Pithanophilus, an a ſuo Statuto deſtructa ſit Bulla Clementis V. & an reliquæ Bullæ Nicolai III. & aliorum ſint abrogatæ tamquam Fratres nimium arctantes. Legat, & videat, an liceat pecuniam in manu Syndici deponere a communi ſeparatam, eamque in neceſſitatibus futuris impendere. Pudeat in re tam gravi leges abſcondere, evertere, & palliare. Dicta Bulla Innocentii eſt ex recentioribus, neque ab alia derogatam inveniet. Hæc autem Fratres obligat *in conſcientia obſervare Regulam, & præcepta a Nicolao III. & Clemente V. expoſita*, unde obligat ſub gravi. Quod ſi Statutum ejus a dictis Bullis diſpenſaret, Innocentius XI. dicta Bulla illud caſſat, irritat, & annullat, ita ut illud,

lud, quod ceteras leges fingit evertere, clara deciſione deſtructum ſit.

Ut vero in tanti momenti puncto veritas amplius elucescat, & falſa Adverſarii deductio ab eodem Statuto eruta appareat, tria generalia Statuta afferimus, quæ cum ex ultimis ſint, Religionis ſenſum uſque in præſentem diem aperte demonſtrant.

Primum eſt generale Capitulum Vallis-Oleri 1670. ubi in Statutorum principio ſic dicitur: *Declarat in primis, & proteſtatur Capitulum generale* (nota præterea hæc verba) *prout ſæpius antea in aliis Capitulis generalibus declaratum eſt, in nullo Regulæ præcepto hactenus nobiſcum diſpenſatum fuiſſe, nec Ordinem noſtrum ullam umquam admiſiſſe, vel admittere diſpenſationem, ſed potius velle pro viribus &c. illam pure obſervare juxta S. Pontificum declarationes communiter a Religione admiſſas, & ſignanter Nicolai III. & Clementis V.*

Secundum eſt Capitulum generale habitum 1694. ubi in Statutorum principio hæc habentur: *In primis Capitulum generale deſiderans totis viſceribus puram Regulæ obſervantiam &c. & ſi qua ex humana fragilitate collapſa fuerint, reſtaurare, ſincere, & ſolemniter proteſtatur, ſe nullam admittere circa ullum præceptum Regulæ diſpenſationem, vel Apoſtolicam conceſſionem, per quam aliter in Textu ejuſdem Regulæ, & declarationis Nicolai III. & Clementis V. S. Pontificum, quoad puram, & ſtrictam Regulæ obſervantiam litteralem nobis vivere permittatur, iis omnibus ad exemplum etiam Majorum noſtrorum, ex animo renuntians, & cum effectu pro renunciatis haberi volens.*

Tertia ſunt Statuta Sambucana, quorum auctoritate innititur Adverſarius, ut ſupra vidimus. Hæc in Cap. 4. ajunt: *Declaramus juxta multorum generalium Comitiorum ſententiam, in nullo præcepto Regulæ hactenus diſpenſatum eſſe, nec Ordinem ullam umquam diſpenſationem admiſiſſe, vel admittere. Hinc juxta Re-*

ta Regulam, & Declarationes per Dominos Nicolaum III. & Clementem V. factas, quas ſolas Ordo noſter recepit, & recipit, quaſque obſervari præcipue circa paupertatem &c. volumus.

Uniantur hæc Statuta cum Bulla Innocentii XI. antelata, & canonice coram Deo judicetur an deſtructæ Bullæ Nicolai III. & Clementis V. quod nimio animo inſinuat Pithanophilus, ut ſuis laxitatibus aſtruat fundamentum. Unanimis eſt Religionis, & S. Pontificis ſenſus, ut plene obſerventur Bullæ Nicolai, & Clementis, & unanimis quoque in exterminandis quibuslibet Conceſſionibus, privilegiis, indultis, & diſpenſationibus. Quod a Capiſtranis deducit, idem deſumit a Bullis Pauli IV. & Pii IV. pag. 53. & 53. quaſi per has Bullas deſtructæ ſint Conſtitutiones Nicolai, & Clementis, & omnium Pontificum, ſed multo majori inconſideratione, nam dictæ Bullæ ne verbum quidem faciunt de dictis Conſtitutionibus, neque de rebus ab ipſis præſcriptis; & ſi aliquid concederent contra eas, a Statutis ſollemniter renunciatum eſt, & ab Innocentio XI. annullatum.

Sed dicit Adverſarius: Dictum Statutum non diſpenſat, ſolum vero declarat. Fateor veritatem, tale reſponſum non expectabam a Logico, qui verba in ſuo pondere, & menſura tam ſuperſtitioſe metitur. Ait ejus Statutum *miſericorditer diſpenſamus*, & ly diſpenſamus idem eſſe defendit, ac declaramus. Optarem in ſuis definitionibus addidiſſe etiam definitionem diſpenſationis. Diceret igitur: Diſpenſatio eſt alicujus rei declaratio. Sed quomodo hoc, ſi dicit Statutum, *miſericorditer diſpenſamus?* Melius eſt, eum dicere ly miſericorditer definiri debere, ad Pithanophili libitum, ita ut ſenſus ſit, ad Pithanophili libitum declaramus. Ex quo apparet Auctoris malitia, nam quando nomina in ſenſu logico definita ei poſſunt inſervire ad legem deſtruendam, optime definit, nec curat, an definitio ſubſtantiam legis ſalvet necne. Quando definitio contra propoſitum ejus militat, eam

eam diſtorquet, nulla habita ratione neque logicarum, regularum, neque reliquorum nominum, cum quibus conjuncta ſunt. Et quidem ſi Statutum misericorditer diſpenſat, ergo non declarat, nam ad declarandum non eſt neceſſarius actus miſericordiæ, ſed gratiæ. At ſi miſericorditer diſpenſat, actu aliquo miſericordiæ Fratres ſublevat ab onere, quo adſtringuntur, & hic eſt verus actus miſericordiæ. De facto ſi ab aliquo vero præcepto vellet diſpenſare, ut caſtitatis, obedientiæ &c. quid aliud dicere poſſet, niſi miſericorditer diſpenſamus? Statutum igitur ſi ejus modo ſumeretur, eſſet pura, & vera diſpenſatio in Regula, & Bullis, & ratione verborum, & ratione abrogationis præceptorum a præcedentibus Bullis emiſſorum, idcirco eſſet nullum, abrogatum, & caſſatum a toto Religionis ordine, & a Pontificibus poſterioribus, quamlibet legis diſpenſationem abrogantibus.

Huic ſimile eſt objectum, quod Suppoſito XI. deſumit a Sambucanis num. 8. 9. & 14. ubi videtur innui, de Superioris licentia per ea Statuta poſſe Fratrem particularem depoſitum tenere in manu Syndici, cum dicatur: *Qua pœna* (nempe proprietarii) *puniatur, qui ſine Superioris licentia Eleemoſynam pecuniariam in manu Syndici Apoſtolici tenuerit*. Verum quantum ipſum errare in Capiſtranis oſtendimus, tanto magis in Sambucanis. Sumit enim aliqua verba ſuæ Concluſioni apparenter faventia, & deciſionis ſubſtantiam omittit. Revera Sambucana in Cap. 4. §. 1. num. 14. dicunt: *Nullus ad pecuniam recurrat, niſi exiſtente vera, præſenti, aut imminenti neceſſitate*. Num. 9. dicunt: *Sed peculiaris facultas* (nempe Superioris) *ſit ſemper neceſſaria ad quaſcumque etiam minimas res comparandas, nec alicui licentiam accipiendi, vel dandi pecuniam in univerſum concedat*. Et Cap. 5. num. 4. *De mercede vero* (nempe laboritiorum), *quæ Fratribus neceſſaria fuerint, Superiores locorum in communi quidem opportune provideant*. Et in eodem Cap. 4. num. 1. *Declaramus &c. in nullo*

Digitized by Google

præcepto Regulæ hactenus diſpenſatum eſſe, nec Ordinem ullam umquam diſpenſationem admiſiſſe, vel admittere. Hinc juxta Regulam, & declarationes per D. D. Nicolaum III. & Clementem V. factas, quas ſolas Ordo noſter recipit, & recepit, quaſque obſervari præcipue circa paupertatem &c. volumus. Hæc igitur Statuta, ut etiam Capiſtrana antedicta, jubent vitam communem, prohibent depoſitum pro futuris, & ſolas admitti præcipiunt, & declarant Bullas Nicolai III. & Clementis V. quas ipſe derogatas, & annullatas declarat. Hæ vero ſunt leges, quibus abutitur Adverſarius, eas diſtorquendo, perſonando, & ementiendo. Ex quo videat Lector, quantopere fundetur in legibus adverſarius, ſi tam clare contra eum faciunt, quæ ab ipſo adducuntur.

CAPUT XXII.

Objectio quarta.

IN Concluſione octava defendit Pithanophilus, ſine Superioris licentia Conventus conſuetudinem ſufficere, ad hoc ut ſingularis Frater poſſit pecuniam ſeparatam in manu Syndici detinere, eamque in neceſſitates impendere, dummodo ea conſuetudo revocabilis ſit. Rationem addit, quia conſuetudo eſt vera, & genuina licentia, & continetur in Superioris aſſenſu. Revocabilem tamen eam vult, nam cum paupertatis eſſentia in abdicatione proprii conſiſtat, proprii vero abdicatio conſiſtat in dependentia a Superiore, ſi eſſet irrevocabilis, auferretur dependentia, ideoque paupertatis tolleretur eſſentia. Hæ ſunt leges, Bullæ, Statuta, & Canones, quos adhibet. Non invenit leges, non nomina, quæ poſſit ampliare, rationes elambicat, quæcumque ſint, dummodo me-

tam

tam attingat : Hanc conſuetudinem in fine definitionis XVII. definit, quamdam generalem licentiam tacitam generaliter diſponendi . Hæc definitio quomodo Logico ſimul, & Canoniſtæ conveniat, non video. Si enim eſt licentia, non poteſt eſſe conſuetudo. Ipſe in ſua Concluſione ſupranotata dicit, conſuetudinem ſufficere ſine Superioris licentia. Si igitur conſuetudo eſt licentia, quare non dixit, ſufficere licentiam ſine licentia ? Optima quidem tanti Logici definitio . Sed venenum in cauda. Nam poſita hac conſuetudine, neque intus examinata, multa ad ſuum finem deducit . Conſuetudo non eſt licentia tacita generalis, ſed eſt jus non ſcriptum, quod moribus, & uſu initiatum, continuatum, & introductum eſt, vim legis habens, ut colligitur §. noſtri . Inſtit. de legibus, & ex l. de quibus ff. de legibus, & Can. conſuetudo diſtinct. 1. & hæc vim legis habet, cum dicat axioma legale : Conſuetudo eſt altera lex . Si igitur dari poſſet talis conſuetudo, non eſſet licentia, nam licentia pendet a Legislatore, ſive ejus nomine a Superiore, conſuetudo vero pendet a Subditis. Præterea ſi eſſet conſuetudo, non eſſet a Superiore revocabilis, ut Auctor ſupponit . Nam conſuetudo cum vim legis obtineat, revocari non poteſt ab eo, qui facultatem non habet condendi leges. Eſſet quidem revocabilis a Pontifice, qui eſt ſupra leges, ſed non a Superiore, qui ab eadem conſuetudine obligaretur non minus ac alii Subditi.

Sed medullitus hanc conſuetudinem perſcrutemur . Prima conditionum ad inducendam conſuetudinem eſt, ut ſit rationabilis, ſancta, & honeſta, alioquin corruptela diceretur, ut in Cap. fi. de conſuet. & l. quod non ratione ff. de legibus. Non poteſt igitur eſſe conſuetudo, nam ſancta, & rationabilis non eſt ea lex, quæ Religionis regulas evertit, quæ votum ſuper regula ſpernit, quæ Bullas declarantes, & ſtatuta non obſervat, & generale Eccleſiæ Concilium non obſervat, ſed eſt vera & deteſtabilis corruptela,

 ut

ut in dicto Cap. ſi. Ideoque Can. Omnia talia diſt. 8. ait: *Omnia talia, quæ nec conſuetudine univerſali Eccleſiæ roborata ſunt &c. ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo*. Altera conditio eſt, ut de aſſenſu Populi introducta ſit, aut ſaltem majoris partis Populi, ut in legibus ſupracitatis. Quomodo autem probabit Auctor hanc conſuetudinem eſſe totius Religionis, vel majoris partis, ſi clamant contra eum omnia Statuta ſuperius allegata, & ſi forte aliqui ſunt in Religione abuſus, univerſaliter deplorantur, & deteſtantur, ut ait Innocentius Papa in Cap. Cum jamdudum, de præb. & dign. *Multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium; exigente juſtitia non debeant tolerari*. Probarine poteſt Fratrum pugillum alicujus Conventus leges poſſe deſtruere, aliis ſervare volentibus? Sed demus, hoc Fratrum pugillum poſſe Statuta, & Bullas contrario uſu evertere, poteruntne deſtruere votum, quod de Regula obſervanda ediderunt? Deſtruantur præcepta Eccleſiæ, & Religionis; deſtruetùrne unquam promiſſio Deo facti, & a Bullis, & Statutis declarata? Iſtæ ſunt corruptelæ, abuſus, peſſimi mores, iniquitates apud Deum, quæ præſcribi nequeunt, ut in dicto Cap ſi. de Conſuetudine. De facto aliquem ſupponamus Conventum, in quo per longum tempus deſtructa ſit Superiori obedientia. Prælatis tacentibus, & non curantibus, vel cujuslibet rei mercimonium fiat, vel induantur ut Seculares, & ſimilia; poteruntne ob hanc conſuetudinem Superiorum negligentia introductam talia facere? Impium eſſet hoc aſſerere, abuſus enim conſuetudinem non inducunt. Ideoque in Can. veritate, diſt. 8. dicitur: *Nemo conſuetudinem rationi, & veritati præponat, quia conſuetudinem ratio, & veritas ſemper excludit*, & C. conſuetudinis, diſt. 11. *Conſuetudinis, uſuſve longævi non levis auctoritas eſt, ſed non uſque adeo ſui valitura momento, ut rationem vincant, aut legem*; Et explicant Auctores legem in ratione fundatam. Ex quo colligitur,

tur, ipſas innocentes conſuetudines non ſemper poſſe inducere conſuetudinem, ſed ſolum quando rationi innituntur. Quid igitur dicendum de corruptelis, de abuſu? Hæc ſine ulla dubitatione reſecanda ſunt, ut ait Canon ſuperius citatus.

Ut tamen contentus ſit Adverſarius, ſupponatur legalis iſta ejus conſuetudo, quid inde rationis pro ſua concluſione erueret? Ne tantillum quidem. Superiores enim non poſſunt diſpenſare neque a vita communi, neque a depoſito pro futuris detinendo, neque a congregatione pecuniarum pro futuro, ſuper quibus ſola eſt diſputatio. Quapropter hæc conſuetudo nihil aliud obtineret, niſi ut Fratres poſſent ex ſe ipſis ſuas judicare neceſſitates imminentes, eiſque providere de laboritiis ſuis, vel de Eleemoſynis dummodo depoſitum ſeparatum non detineatur pro futuris, & dummodo fiat in communitate. Superaretne Adverſarius magnam rem?

Ex ſuperius dictis facilis eſt reſponſio Suppoſito Auctoris 18. in quo aſſerit, quamlibet Superioris licentiam ſufficere ſive expreſſam, ſive tacitam, virtualem, ad tempus &c. Nam etiamſi tales licentiæ valerent, non valerent niſi pro neceſſitatibus præteritis, præſentibus, & imminentibus, ſcilicet de his, ſuper quibus ab Eccleſia conſtitutus eſt Judex a Bullis ſupracitatis, & a Statutis. Quomodo enim poteſt judicare de futuris, ſi de his Eccleſia prohibet, cum prohibeat congregationes pro futuro, & expreſſe non permittat niſi pro imminentibus, & ad ſummum, quæ de brevi eventuræ ſunt poſitis talibus conditionibus? Fines mandati excederet, uſurparet facultatem, quam non habet, & peccaret concedendo rem prohibitam, ut peccarent Fratres tali licentia utentes. Præterea, quomodo poteſt Superior judicare, an neceſſitates de futuro ſupplendæ ſint, necne, ſi eas non novit, & incertum eſt an evenerint? Superioris judicium, & aſſenſus non eſt purus actus ejus voluntatis, tamquam ſit Dominus, ſed eſt ſolus

F 4 exe-

exequtor voluntatis Eccleſiæ , quæ ad dignoſcendas & providendas tales , ac tales neceſſitates eum auctorizavit, non omnes ad libitum ſuum. Idcirco multo magis errat Adverſarius in Concluſione ſeptima , quando ait Superioris licentiam perpetuo durare etiam mutatis Superioribus , dummodo non contradicant . Superior enim licentiam concedens nec poteſt judicare de neceſſitatibus , quas ut dixi non novit , & quæ incertæ ſunt , nec poteſt judicare , aut permittere id, cujus judicium , & permiſſio ab Eccleſia demandatur actualibus Superioribus , non præteritis . Præterea ſi poſſet etiam Superior quacumque licentia Subditos ſuos auctorizare , ut ex ſe ipſis dignoſcant neceſſitates ſuas , eiſque modo licitis provideant , non per hoc tamen ut peculium ſeparatum in manu Syndici teneant , eis concedere poteſt, quia non poteſt permittere niſi id , quod ab Eccleſia conceditur . Eccleſia autem jubet ſub gravi omnes pecunias in Communi incorporandas. Nec dicere juvat , hoc eſſe faciendum , ubi Communitas ſervatur , nam Synodus ob hoc expreſſe præceptum edidit , quia vita communis non ſervabatur .

Pithanophilus tamen dicit in Suppoſito 20. ex vi contractus inter Religionem , & Fratrem ipſum Fratrem quoddam jus habere obtinendi neceſſaria . Tranſeat hoc, ſed tamen cum conditione , quod neceſſaria ſint, non ſi ſint futura , nam futura non ſunt neceſſaria. Poſſunt evenire neceſſaria , ſed non ſunt , unde futurum ſi eveniet, erit neceſſarium , ſed hodie neceſſarium non eſt . Exinde contractus inter Religionem , & Fratrem tacite initus, eſt ſuppoſita Regulæ, Bullarum , & Statutorum obſervatione . At ſi Frater ea non obſervat , quomodo contractus vinculum inducere poteſt ? Neque verum eſt Religionem a contractu reſilire , nam pro neceſſitatibus licitis , ſi ſupplere non poteſt, recurſum admittit.

CA-

CAPUT XXIII.

De quæſtionibus ab Adverſario in fine Operis deciſis.

IN Opuſculi fine addit Auctor Quæſtiones aliquas pro omnium laxitatum coronide, quarum lectio pro ſolutione ſufficit, cadentibus enim impulſum addunt, pias aures offendunt, & ſcandala immenſa ex iis parantur, & ſuſtinentur. Dicta ſufficiant ad normam ſuper quæſtionibus illis capiendam, ne in talibus teratur tempus. Duas tantum attingam, quæ neceſſariæ videntur. Altera eſt Quæſtio prima Pag. 109, in qua defendit non teneri Fratrem ſuam pecuniam Conventui incorporare, etiamſi Superior hoc jubeat, quia ubi non ſervatur vita communis, & cæteri non conferunt, cogi non poteſt. Altera eſt an Sanctiores ſint Minores depoſitum habentes, & pecunia utentes, an vero non utentes pecunia, ſed eam Conventui incorporantes; Et an utens pecunia, & moriens cum illa canonizari poſſit, quod agit in Quæſtionibus 12, 13. & 14.

Quo ad primam dici nihil poteſt, niſi quod cæcutiat. In toto enim Opere ſuo defendit, poſſe Fratrem depoſitum ſeparatum tenere, dummodo ſit de Superioris aſſenſu, & ſpecialiſſime hoc defendit in Conventibus, ubi vita communis non ſervatur. Et poſtquam neceſſariam, & indiſpenſabilem ubique hanc adjecit conditionem, diverſam ex diametro deducit concluſionem, non teneri incorporare, etiamſi Superior jubeat. Poteſtne apertius de opinionum ſuarum contradictione convinci? Quid opus eſt ſolutione, ſi a ſemetipſo per totum opus hujus concluſionis falſitatem fatetur & probat? Nulla major probatio, quam proprii oris confeſſio.

Non

Non minus deriſionis promeretur ſecunda Concluſio; Comparationem enim facit tanto Logico minime dignam. Supponit Fratrem depoſitum non tenentem, ſed mille defectibus involutum, eumque comparat Fratri licite depoſitum habenti, & omnibus virtutibus ornatum. Quænam comparatio eſt iſta? Semper audivi ceteris paribus comparationes fieri. Sed ex una parte vitioſum hominem ponere unum boni tantummodo ſervantem, nempe depoſitum non tenere: Ex altera ſanctum virum, ſed pecuniam in manu Syndici peculiariter habentem, non eſt bona comparatio. Ponat Adverſarius binos Fratres æquis virtutibus pollentes, unum vero depoſitum tenentem, & alterum non, & decidatur, ſi fieri poteſt, meliorem, & laudabiliorem eſſe, qui peculium tenet. Hæc erit vera, & juſta comparatio, quæ fit ceteris paribus. Sed comparatio ab eo facta eſt captioſa, & contra omnes dialecticas regulas, immo nulla in ea invenitur comparatio. Neque in hoc terminum habet malitia. Supponit ſanctum eſſe poſſe depoſitum tenentem, quia quod eſt in quæſtione licitum definit, at ſi illicitum eſt, quomodo ſanctificari poterit? Strictius loquamur. Supponamus dubium an teneri poſſit, necne, quod falſum tot rationibus comprobavi; poſſet ne canonizari?

Similes ſunt ceteræ objectiunculæ, deciſiones, & deductiones. Omnia vult fieri poſſe, cum liceat Fratribus omne id, quod eſt commodum, utile &c. & his nominibus ſubſtantiam, & finem legis deſtruere putat. Serio tamen advertendum, commoditates, & utilitates conceſſas neceſſitatis fines non poſſe excedere, & intra regulas altiſſimæ paupertatis debere contineri. Talis enim eſt ſollemnis regulæ profeſſio, & votum Deo factum, tales Regulæ declarationes Summorum Pontificum Bullis editæ, & omnium Religionis Statutorum deciſiones, quæ nullo modo a mendicatis verborum definitionibus infringi queunt, & eo minus, quo, ſi per ea verba aliqua poſſet induci profeſſæ regulæ relaxatio, Statutis, & dicta

Inno-

Innocentii XI. Bulla, caſſa, annullata, & revocata ſunt, ut idem Adverſarius fatetur in ſuo Suppoſito 7.

CAPUT XXIV.

Concluſio.

Quæſtio igitur contra Pithanophilum modo propugnata, non eſt aliquid dubium, diſputabile, incertum, aut opinabile, ſed evidens, infallibile, clarum & inoppugnabile, neque poſſunt ejus opinionem ſectari, niſi qui tenebras amant, lucem vero odio habent. Ea eſt dubia quæſtio maxime in propoſita materia, quæ leges hinc inde habet, vel quando leges non ſatis clare loquuntur. Sed in controverſia præſenti neque obſcuræ ſunt leges, neque inter ſe contrariæ. Non obſcuræ, quia tam claris terminis, & tam evidenti oratione loquuntur, ut a nullo Auctore in dubium revocatæ fuerint, immo ab ipſo Pithanophilo concedantur. Non contrariæ inter ſe, cum nulla inveniatur Bulla, quæ pro futuris neceſſitatibus permittat collectiones, aut Fratri ſingulari depoſitum ſeparatum concedat, aut a vita commune diſpenſet, aut laboritia, & Eleemoſynas in commune impendendas non jubeat, quæ totam quæſtionem infallibiter reſolvunt. Capiſtrana, & Sambucana Statuta ab eo jactata malitioſe, & truncatim allata, integra adducta, non ſolum nihil eum juvant, ſed expreſſe ejus opinionem evertunt, ut demonſtravi Cap. XXI. Bullæ Pauli IV. & Pii IV. de quibus æque gloriatur, ne verbum quidem faciunt de dictis propoſitionibus. Futile autem, erroneum, & a qualibet ratione diſſonum eſt, nominibus commoditatis, utilitatis, ſufficientiæ &c. quorum catalogum inaniter intexit, ampliſſi-

mas

mas velle deſtruere leges tam claras, tam ſæpe repetitas, tam celebriter ab Ordine acceptas, tam continuis temporibus ſervatas. Quod ſi etiam a verborum generalitate aliquod emendicari poſſet irrationale ſubterfugium, ei renuntiatum eſt ab omni Statuto uſque in hodiernam diem, & quod majus eſt ab Innocentio XI. efficaciori modo caſſatur, annullatur, deſtruitur, & aboletur. Uno verbo nullam habet legem ſibi faventem, & illud quoque, quod elaborate, & malitioſe effingit, & eruit, ab ipſis legibus penitus eliminatur.

Certa igitur, & nulli dubio ſubjecta eſt noſtra propoſitio: Non licere Fratri Minori in manu Syndici depoſitum tenere a communi disjunctum quacumque Superioris licentia. Hæc opinio innititur, immo præciſe definitur a Regula, a Concilio Tridentino, ab omnibus Bullis, ab omnibus Statutis. Hæc comprobatur a vita, & moribus S. Franciſci Inſtitutoris, & primævæ Religionis Patribus. De hac nos certos reddunt innumeri ejuſdem Religionis Sancti, quorum unus inveniri nequit, qui depoſitum habuerit. Contra hanc ex tot SS. Doctoribus unus non invenietur, qui tale depoſitum permittat. Et Regula igitur, & Inſtitutor, & leges, & praxis, & Sanctorum opiniones uniformiter confirmant, & roborant, & infallibilem reddunt opinionem noſtram. Infallibilem quidem; nam prohibent collectiones, & congregationes pro futuro etiam pro Conventibus, multo magis pro Fratre ſingulari: Depoſitum particulare non ſolum non concedunt, ſed complurium regularum ſanctione illud exterminant. Præcipiunt inſuper Eleemoſynas, laboritia, emolumenta prædicationis, & Miſſarum, & quaſcumque obventiones in communi Capſa deponendas, & in communem neceſſitatem impendendas. Vitam communem ſollemniter, atque inceſſanter ſollemni præcepto præſcribunt. Declarant omnia eſſe, & remanere in pleno S. Eccleſiæ dominio, cum Fratres nullum poſſint habere jus ſuper quacumque mundi re,

minus

minus vero ſuper pecunia, in qua neque jus facti eſſe poteſt. Quid clarius, quid certius, quid evidentius? Si enim congregationes pro futuro fieri nequeunt, teneri non poterit depoſitum pro futuro. Si omnia laboritia, obventiones, prædicationum, & Miſſarum lucra &c. in Capſam communem redigi debent, & in commune impendi, teneri non poſſunt pro Fratri ſingulari. Si omnia in Eccleſiæ dominium pertranſeunt, non poſſunt ad unius beneplacitum impendi, dum jubet Eccleſia in commune beneficium converti. Si vita communis ſervanda eſt, & præceptum ſub gravi tam collective quam diſtributive Fratres omnes infligit, pecunia Fratris in commune beneficium eroganda eſt.

Neque juvat ſubterfugium ab Adverſario adductum hoc licere in Conventibus, ubi vita communis non ſervatur. Præceptum enim vitæ communis non eſt conditionatum, nempe ſi ea ab aliis ſervetur, ſed eſt purum, omnes & ſingulos infligens, immo expreſſe a S. Synodo editum, ut ad communitatem coercerentur, qui eam negligebant. Revera inobedientia præcepti, quæ apud Deum, & hominem pœnam prometetur, ita præmium obtineret, nempe diſpenſationem, ut depoſitum teneri poſſit, hoc eſt ſolutionem ab alio præcepto. Neque ad tales Conventus obligantur Fratres, poſſunt enim ſi volunt ad alium ſe transferre, ubi communiter vivant. Quod ſi etiam adſtricti eſſent, tamen depoſitum tenere nequirent. Poſſunt enim, & debent de licentia Superioris e laboritiis ſuis proprias neceſſitates ſupplere, dummodo neceſſitates ſint præſentes, imminentes, & licitæ, & reliquum in Capſa communi relinquere. Pro futuro vero tenentur denuo laborare, Eleemoſynam quærere, & non verecundari, cum pauperes facti ſint pro Chriſto Domino, & identidem futuris neceſſitatibus hoc modo conſulere. Sunt igitur cavillationes, commenta, ſubterfugia, quæ non valent ad tot, & tam ſanctas leges omni tempore confirmatas, & admiſſas ſubver-

vertendas : Profeſſi ſumus Regulam , & Religionem Dei providentiæ innixam , tenemur de Eleemoſynis , & laboritiis vitam traducere , & niſi a Regula , & Religione , & ab omni lege rebellare velimus , *pure , & ſine gloſſa* ſervanda eſt , & eo magis , quod ad eam ſervandam nos voto adſtrinximus . Si valerent cavillationes , & emendicata ſubterſugia , nulla lex ſalva eſſet . Sciunt qui talibus abutuntur , & nimis experiuntur quam ſit inquieta eorum conſcientia , & quam fortiter remordeat non obſtante quocumque elaborato pretextu ; Et mortis tempore ſciunt omnes , quam pavidi , & anxii ad mortem ſe diſponant , qui tam ſtrictæ obligationis ſe inveniunt reos . Deus non irridetur , neque excuſationes admittit in peccatis , a Deo judicandi ſumus , cui devovimus paupertatem non omnibus admixtam commoditatibus , & utilitatibus , ſed altiſſimam , & ſine gloſſa . His ante oculos poſitis unuſquiſque ſibi conſulat .

F I N I S.

101147067 5

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXXXIX
B 29

BIBLIO
Vitto

X